THEOLOGIÆ MORALIS FUNDAMENTALIS


Pars Altera:

In quâ

QUÆSTIONVM MORALIVM NODOS GORDIOS,

Quos ante annos duos proposuit altera, aut dissolvit, aut disſecat

Caramuel.



FRANCOFVRTI,
Sumptibus Joannis Gottofredi Schonwetteri.
Anno
Magnæ DeIparæ CœLI RegInæ.



EMINENTISSIMO D.D.

CARDINALI DE LVGO.



Vndamentalem Theologiam (hoc eſt, meas ignorantias & tenebras) ut juvarer & illuminarer à doctis, ante annum toti Orbi literario propoſui. Volui enim conſulere Viros diverſos, ut multorum ingeniorum cōcurſu, ſolverentur difficilium controverſiarum nodi, quibus Natura, rerum parens, Gordio Phrygum Principi ſimilis, humani Ingenii habenas & vires cōtraxerat. Illam Viris Magnis inſcripſi: & quoniam inter ſummos emines, in Te ingenium, in Te ſtudium, in Te do-

ctrinam & eruditionem suspiciens, illam Tibi speciali devotione proposui, ut resolvendo dubia singula me juvares, & Scholæ cespitanti faveres. Testes sunt hujus meæ devotionis, Nuncupatoriæ Literæ eidem Libro præfixæ, quæ nomine tuo condecoratæ, Quęstiones subsequentes honorant. Petii in illis, ut quantum publica totius mũdi negotia, quibus prępediris, permitterent, sumere stylum dignareris, daresque lucem obscuris controversiis quę vel à me tanguntur leviter, vel in utramque partem agitantur. Vt Te certiùs & efficaciùs provocarem, me insinuavi in Tuos subtilissimos libros; & in ipsis laudavi omnia, & tamen notavi nonnulla, in quibus saltem ego majorem claritatem & notitiam desidero.

dero. Doceri volui; nîl obtinui. Et quia Resolutiones Tuas dubiis à me propositis satisfacturas fore opinor, illas ambio: & quamdiù careo, desideratissimâ re me carere profiteor. Et ut instem & urgeam, velis me tuo ingenio & doctrinâ juvare, mentem nunc meam paucis foliis expressam, & non sine fructu, ut existimo, Tuo ego Nomini consecro: Tuo Ingenio & Censurę subjicio. Multos Quęstionum nodos summâ brevitate & facilitate dissolvi; alios verò, quia solvi noluerunt, dissecui, ut Alexandrum imitans, sic aut aliter tollerem, quæque possent Lectorem ingeniosum morari. Tuum erit, Domine Eminentissime, fiduciæ meæ, si nimia videatur, ignoscere: singula, si tempus suppetat & digna favo-

re la-

re laborem hunc & desiderium meum aliquâ censurâ aut etiam correctione honorare: ut habeant Viri docti Cynosuram, qua in controversiis moralibus hâc rerum tempestate se dirigant & expediant. Vale Domine Eminentissime: & me Tuarum Virtutum Eximiarum præconem, obsequio Tuo addictissimum impendere incipe, & diligere perge. Pragæ, apud Montemserratum pridie Calendas Novembres: Anno, quo speciali devotione dabatur, ChrIsto DoMIno gLorIa.

CENSV-

CENSVRA



Vm imbellem aquila non progeneret columbam, Illustr. & Rever. Dominus Ioannes Caramuel &c. orbis literarii nobilissima aquila non columbinos, & simplices ingenii, partus edit sed fortissimos, & aquilina vivacitate plenos. Hanc ob causam fortè accidit, quòd ex multis doctissimè consultis in prima parte Theologiæ suæ fundamentalis, pauci, & parcè responderint, aut responsuri videantur; quare nè opus tàm utile imperfectum, aut mutilum maneat, hæc posterior pars dignissima luce est: intricatissimos enim prioris nodos clarissimè, & solidissimè dissolvit, nihilque contra fidem, aut bonos mores continet. Dedi Pragæ in Conventu B. Mariæ ad Nives die quinto Maii 1653.

P. Bernardinus Clanchy S. Th.
in Sem. Archiepali. Professor.

VOTVM

re laborem hunc & desiderium meum aliquâ censurâ aut etiam correctione honorare: ut habeant Viri docti Cynosuram, qua in controversiis moralibus hâc rerum tempestate se dirigant & expediant. Vale Domine Eminentissime: & me Tuarum Virtutum Eximiarum præconem, obsequio Tuo addictissimum impendere incipe, & diligere perge. Pragæ, apud Montemserratum pridie Calendas Novembres: Anno, quo speciali devotione dabatur, ChrIsto DoMIno gLorIa.

CENSV-

CENSVRA



Vm imbellem aquila non progeneret columbam, Illustr. & Rever. Dominus Ioannes Caramuel &c. orbis literarii nobilissima aquila non columbinos, & simplices ingenii partus edit sed fortissimos, & aquilina vivacitate plenos. Hanc ob causam fortè accidit, quòd ex multis doctissimè consultis in prima parte Theologiæ suæ fundamentalis, pauci, & parcè responderint, aut responsuri videantur; quarè nè opus tàm utile imperfectum, aut mutilum maneat, hæc posterior pars dignissima luce est: intricatissimos enim prioris nodos clarissimè, & solidissimè dissolvit, nihilque contra fidem, aut bonos mores continet. Dedi Pragæ in Conventu B. Mariæ ad Nives die quinto Maii 1653.

P. Bernardinus Clanchy S. Th.
in Sem. Archiepali. Professor.

VOTVM

VOTVM AUTHORIS



i quid in Libris meis Sacræ Scripturæ, Traditioni Apostolicæ, aut Concilii ab Ecclesiâ approbati Canoni reperiatur contrarium: indictum & inscriptum sit.

Siquid in meis unquam Operibus summo Pontifici delere aut immutare visum, me illud hâc deleturum manu religiosè & sincerè polliceor: nec contrà vel verbulum repositurum.

EMinentissimorum Dominorum S. R. Ecc. Cardinalium Declarationes veneror & exosculor, nihilq; affirmo quod sciverim ab illis negatum: quod si aliquæ emanent meis sententiis contrariæ, labium illis & calamum me conformaturum propono.

ILLI,

ILLI, QVI PRIMAM PARTEM LEGERIT.



Ecundus jam excurrit annus, ex quo mea THEOLOGIA FUNDAMENTALIS lucem vidit. Et quia *pro captu lectoris habent sua fata libelli*, variam ipsa fortunam experta fuit apud diversos. Placuit ingeniosis & doctis: & illis, qui ad alta non sunt nati, displicuit. Omnes quæstionum subtilitatem laudant, at in eisdem utilitatem cognoscunt & probant non omnes: sed desiderant, quod aut supprimantur aut solvantur; quæ enim insolutæ, dissolutæ. Et ego, ut etiam vulgo literario me attemperem, sententiam hanc interloquutoriam interpono, in quâ decîdo controversias nonnullas, quæ videbantur solutione indigere. Mirorque me tam multos consulere, & doceri à tam paucis: nemo enim præter tres aut quatuor voluit hucusque laurum apud Phryges ambire, quæ illi soli promissa, qui nodos à Gordio implicatos dissolveret. Adhuc favorem & honorem à Theologis universis spero; & antequam quæstiones singulas propriis locis restituam, Resolutiones istas doctis indoctisque universis propono.

Censura Theologiæ Fundamentalis.

Interloquutoria sententia, quæ cassari possunt.



CAPUT I. SPECULATIVUM.



A ipsis fundamentis incepi; & quia nulla potest haberi secura consequẽtis notitia, nisi etiam præmissarum habeatur, hanc ob rem de veracitate Cap.1. disputavi, quàm certa sint prima Moralis Theologiæ Fundamenta disquirens.

De libero arbitrio.

I. *Ad merẽdum & demerendũ non sufficit libertas à coactione: sed omninò requiritur libertas à necessitate.*

Dimidium facti, *qui benè cœpit habet*: & ego quia benè incipio, iam videor huius libri scripsisse & perfecisse mediam partem. Dùm hoc primum Fundamẽtum scriberem fervebat quæstio inter Iansenii Asseclas, & veteris doctrinæ Defensores, An ne liberum arbitriũ in libertate à coactione, an verò in libertate à necessitate cõsistat. Illud prius post Lutherum, Calvinumque, Iansenistæ: hoc cæteri, qui antiquæ & communi doctrinæ adhærebamus. Et modò firmiter & gloriosè adhæremus, quoniã Innocentius X. Sanctissimus Dominus noster nostram sententiam esse fide tenendam: & oppositam Constitutione suâ, datâ Romæ pridie Calendas Iunias hæreticam esse declarat.

De doctrinâ Thomistarum & Iesuitarum.

Vtraque probabilissima est: II.
nam sive defendamus physicas prædeterminationes (nimirùm, infallibilitantes: quales hodie plerique Iuniores defendũt: nec enim puto aliud necessitatis nomine intellexisse Thomistas veteres, quàm infallibilitatem) sive scientiam mediam, humana libertas salvatur, & exactè cum Divinâ Præscientiâ & Prædestinatione componitur.

Scientiam mediā & decreta cōditionata sæpè coincidere, cùm maximè distare putantur.

At observavi tantam esse harum scholarum (aliàs oppositarum) connexionem, ut interdū scientiam mediam Thomistæ, aut Prædeterminationes Physicas Molinistæ admittere cogantur, aut videantur. Illustrissimum Didacum Alvarez, qui Thomista durus & severus censetur, posui ob oculos: nam stando locis à num. 46. allegatis, & cæteros hoc sensu explicando, Molinæ doctrinam amplectitur.

De Omniscientiâ & Omnipotentiâ.

III. *An possit reperiri via media, quæ difficultatibus quibus nos exponūt S. Thomas & P. Molina, non sit obnoxia?*

Recognosco Theses Theologicas, quæ num. 61. ponuntur: & quia sextâ simul sciētiam mediam & decreta conditionata existētia nego, & me puto hâc ipsâ negatione Theologis universis prodesse; admittens D. Thomæ & Molinæ sentētias esse verè probabiles, ut meā meliùs intelligas has paucas periodos subscribo.

Decretum Dei est triplex: Absolutum, Conditionatum entitativè, & Conditionatum objectivè. Singula explicantur exemplis. Hoc est decretum absolutum; *Ego volo quod Petrus currat.* Hæc sunt conditionata entitativè, *Si vellem, quòd Petrus curreret, etiam vellem, quòd moveretur. Si vellem, quòd iret ad cœlum, etiam vellem quòd haberet auxilia efficacia.* Hæc conditionata objectivè: *Ego volo, quòd David, si maneat Ceila, tradatur. Ego volo, quod Tyrii & Sidonii, si talia signa videant, convertantur.* Et hæc ultima sunt, quibus Thomistæ utuntur, ut Libertatem Humanam cum Divinâ Scientiâ & Libertate cōponant: quorum loco PP. Iesuitæ scientiam Mediam admittunt: & nos hac & illis reiectis, omnium futurorum certitudinem & libertatem sufficienter salvamus. Considera Assertiones sequentes.

Prima. *Futurum absolutum pendet à decreto absoluto.*

Secunda. *Futurum conditionatum, cuius causa absolutè existit, dependet à decreto absoluto.*

Tertia. *Futurum conditionatum cuius causa non existit quidem, sed existeret, dependet à decreto absoluto, quod esset,* (& hoc vocavimus *Conditionatum entitativè*) *non autem à decreto quod est.*

Omnia breviter explico, non enim multis indigebit, qui Dialecticam sciat.

Ex hoc Decreto Dei, *Ego volo, quòd Petrus die crastinâ agat pœnitentiam:* sequitur hoc futurum, *Petrus die crastina aget pœnitentiam.*

IV. Ex hoc decreto absoluto Dei, *Ego absolutè volo, quod Petrus totâ die crastinâ sit in gratiâ*, nascitur ista veri-

veritas libera conditionata, *Si Petrus cras tentetur à tali gravissimâ suggestione, non succumbet.* Nec ad certitudinem hujus liberæ veritatis requiritur plus, quàm Decreti absoluti certitudo.

Si omittamus creaturas rationales, quæ essent; aut illarum quæ sunt operationes, quæ non fient, sed fierent; quarum notitia non est necessaria Theologo; non indigebimus Decretis conditionatis entitativè: at quia loqui de creaturis quæ essent, est ejusmodi Decreta supponere (si enim nova creatura aut actio aliqua esset, etiam de ejus existentiâ Decretum esset) nõ ero prodigus, si illa decreta, ut tibi respondeam supposuero, quæ tu, ut me roges, supponis. Dico igitur ex hac propositione, *Si Deus vellet Petrum totâ die crastinâ esse in gratiâ, Petrus esset in gratiâ,* nasci hanc, *Ergo & ipse, si tali aut tali tentatione vexaretur, non succumberet.* Ergo Theologia & Decretis conditionatis objectivè, & scientiâ mediâ poterit omninò carere.

De Concursu Divino.

V. *Negari nequit depẽdentia creaturarum à Deo.*

AGit de hâc materiâ Thesis VIII. à num. 85. & quidem, si cooperationis Divinæ nomine actio aliqua realis ab extremis distincta intelligatur, sicut probabiliter poterit asseri, poterit negari probabiliter. At, si cooperationis nomine sola dependentia intelligatur, videtur hæc esse essentialis omni enti finito, & nõ posse existere rem aut modalitatem in mundo, quin dependeat à Deo.

De primâ Veritate, & primâ Veracitate.

VI. *An Deus possit mentiri?*

QUi dicunt Deum de absolutâ potentiâ mentiri posse: & summam Cœlo injuriam inferunt; & Fidem Orthodoxam ab orbe terrarum proscribunt. Ego puto has esse Propositiones per se notas. I. *Deus errare non potest.* II. *Deus non potest decipi.* III. *Deus non potest decipere.* Nolui illas supponi, sed probari per se, ut vidisti *num* 95.

De Ecclesiæ Romanæ securitate & infallibilitate.

VII. *Lutherana heresis fundamẽtum non habet.*

MIhi est summo solamini agere inter hæreticos, eorundem libros legere, colloquia aut etiam conciones audire, nec tamen reperire rationem, quæ videatur solutione indigere. Sumus in Orthodoxâ Ecclesiâ; & ob hoc beneficium nunquam agemus Deo debitas aut sufficiẽtes gratias: multum enim debemus suæ misericordiæ, vel hoc nomine solo, quòd Catholici sumus.

mus. Ergo dicamus, *Ecclesia Romana est infallibilis; est lingua Dei, & in definiendis articulis Fidei errare non potest.* Legantur & perpendantur omnia, quæ à num. 96. ad num. 167. de hâc materiâ dicuntur.

Ecclesia est Dei lingua

De Pontificis veracitate.

VIII. SUmmus Pontifex in Concilio, & etiam extra illud, est Magister Ecclesiæ. Potest utroque modo definire aliquam propositionem esse Hæreticam, aut esse articulum Fidei. Qui Propositionem damnatam hæreseos à Pontifice sedente extra Concilium tenuerit, non solùm erit inobediens & temerarius, aut etiam hæreticus in foro externo, sed etiam hæreticus in foro interno, & apud Deum. Ita didici Salmanticæ: ita expressè Doctores à me cõsulti, qui num. 170. subscribunt. Et quia, dum Dei Vicario, & in eo Christo, summam reverentiam exhibeo, mihi placeo, hanc lineam, quam ibi dedi num. 170. hîc rescribo. Videlicet. *Siquid in meis unquam Operibus Sanctissimo Domino nostro delere aut immutare visum, me hâc illud manu deleturum & immutaturum religiosè & sincerè polliceor.*

Pontifex extra concilium potest articulos Fidei definire.

De Rotâ, & Congregatione Cardinalium.

SÆpè contra aliquas authorũ opiniones, Eminentissimorũ Dominorum Cardinalium Decisiones objicimus, & quia varii sunt hominum genii, sæpè illas admitti, & sæpè non admitti videmus. Hanc ob causam decrevi interrogare, quantam illæ vim habeant? IX.

Declarationes Cardinalium citãtur & allegantur frequẽtissimè.

Hanc controversiam tractat Diana *part.* 1. *tract.* 10. *in resol.* 29. & Ausonius Noctinot. *in Diana summ. à verb. Cardinalis num.* 23. ubi varias opiniones adducit. Hãc etiam ego tracto in Theologiæ Fundamentalis Capite I. Fundamento V. num. 171. & quia ibi nihil volui resolvere, & hæc est controversia dignissima, hãc ipsam resumo & rescribo.

[Et hîc obiter nota, nomine Censoris Romani me illum intelligere in hâc dissertatione, qui iussu Eminentissimi Cardinalis Chisii, eam recognovit Romæ, & notis nonnullis honoravit.]

I.

PEtunt aliqui, *An Cardinalium declaratio sit Definitio infallibilis, ita ut errori non sit obnoxia?* Si talis dicatur, desiderant videre rationem certam & evidentem quâ id X.

Quanta illæ certitudinis sint?

id probetur, cùm contrà militet ratio & authoritas: *ratio*, quia emanarunt, ut aiunt, multæ declarationes contrariæ, cùm tamen verum vero contrariari nō possit: *authoritas*, quia circa Eminētissimorum Dominorum authoritatem Theologi nobilissimi variant. Ergo dicendum est Cardinalium Declarationes habere vim opinionis probabilis, aut ut plurimum probabilioris, ait enim Petrus de Ledesma in Summ. tom. 1. cap. 13. diff. 7. *Las Declaraciones de los Señores Cardinales no hazen derecho como es cosa cierta y averiguada* (vide quantâ ille animi securitate suam opinionem proponat) *tan solamente tienen fuerça en el caso particular, que les preguntan, y es augmento* (fortè argumento) *grande en favor de aquella sentencia, que parece, que aprueban.* Consonant Joann. Valerus, Pontius de Marrim. Zipeus, Serrarius, Bonacina, Vegha, Villalobos, Portel &c. quos citat & sequitur Diana, qui ait, *Censeo cum supradictis Doctoribus Declarationes Cardinalium maximi quidem ponderis esse, & ab his nullâ ratione recedendum, sine firmissimo fundamento: attamen vim legis non habere existimo, neq; standum illis necessariò.* Sic aliqui dialecticantur.

An sint sibi contrariæ?

An habeāt vim opinionis probabilioris?

An habeāt vim legis?

XI. *Solus Pontifex articulos Fidei cōdere potest.*

Et ego authoritatem practicam à speculativâ distinguo: & licèt condendi Articulos fidei, hoc est, sentiendi & credendi potestatem soli Pontifici ex cathedrâ loquenti concedam: cōdēdi practicos articulos, loquēdi, docendi, concionandi, dictādi, & operandi authoritatem concedo Dominis Eminentissimis, quos ad Ecclesiæ regimen practicum adsumpsit Sanctissimus Dominus noster. Ajo eorundem authoritatem esse duplicem Interdictoriam & Condemnatoriam.

Duplex DD. Cardinalium authoritas

XII *Interdictionis vis.*

Quando liber vel sententia interdicitur, non asseritur esse improbabilis, sed neque esse probabilis; sed jussa manere in gradu probabilitatis in quo anteà, ob bonum publicum vel privatū nec dictari nec defendi præcipitur. Aliqua enim non solùm dubia aut probabilia, sed etiam interdum certa, utiliter ignorantur; & sunt opiniones nonnullæ etiam certæ, quæ essent perniciosæ Reipublicæ, si permitterentur dictari. Et, ne multis te onerem, Biblia ipsa vulgata ob oculos pono; Non ideò erunt falsa, quòd in linguam transferantur vernaculam: & nihilominùs interdicuntur, quòd multi veritate abutantur. Ergò, quia potest soletque doctrina bona esse perniciosa per accidens, dedit suis Car

Non solùm probabilia sed aliquādo verasunt nociva.

Cur interdicantur Biblia?

Veritas potest esse perniciosa per accidēns.

Cardinalibus authoritatem Põtifex, non solùm cavendi malam doctrinam, sed etiam bonam, si per accidens perniciosa credatur.

Cõdemnationis vis.

Quando aliqua sententia ab Eminentissimis Dominis condemnatur, practicè condemnatur. Propositio sic condemnata non pertransit in hæresin, sed perdit omnem extrinsecam authoritatem, & redditur improbabilis practicè. Quid, si condemnetur tanquam hæretica? Tunc vi huius condemnationis non fiet hæretica, quæ antea nõ esset hæretica: sed quæ anteà erat hæretica, hac condemnatione declarabitur esse hæretica, idque tantâ certitudine, ut eandem non esse hæreticam maneat improbabile practicè.

II.

De motu Terræ ab Eminentissimis Dominis condemnato.

ET quidem multa sunt, quæ non intelligo in Dianæ & aliorum Authorum libris, si quæ dicunt Authores citati & Diana cum ipsis sunt vera: & hanc ob rem ut meliùs instruar, Dubia subsequentia propono.

An terra moveatur, vel quiescat?

Olim fuit probabilis illa Astronomorum opinio, quæ terram movet, aut tantùm diurno motu, quod placuit Origano; aut etiam diurno & annuo, quod placuit Aristarcho olim, & ante annos paucos Capernico, & hodiè ferè omnibus Hæreticis, qui tribunal Cardinalium non curant. Hæc opinio damnata est hodie à Cardinalibus, & inquiris, An ideò sit improbabilis reddita? An qui putaret se habere firmissima momenta pro Copernico, posset illam in foro exteriore defendere? An in interno aut privato saltem? An qui illam pertinaciter tueri vellet, accusandus esset de inobedientiâ tantùm, an etiam de improbabilitate?

Sitne opinio Copernici probabilis?

XIV. Res magna interdũ à levibus initiis incipiunt.

Respondeo magna incandia incipere ab unâ scintillâ: nam hæc ipsa dies Pentecostes, quas spiritus sanctus sub ignis specie comparuit, hoc anno 1653. Catholicis universis festiva, tristis & horribilis fuit in parvâ Pragâ, quoniam vehementissimus ignis domos plurimas incineravit, & in ipsis immẽsas divitias absumpsit. Et unde occœpit hoc terribile incendium? Ab uno vili servo, qui incautè sumebat tabacum. Respondeo magna bella exordium sumere à levissimis abusis, Pono ob oculos Lusitanorum defectionem, & quæ inde sequuta; omnia, omnia; ob

Incendia à scintillâ.

Bella à verbulo.

uncus

unius Secretarii, nomine Vasconcellos, intolerabilem in loquendo arrogantiam. Pono ob oculos Catalaunicum, Hispano-Francicum, Germano-Suecicum, & alia plurima, quorum causas si inquiras, aut nullas, aut tam leves invenias, ut sicut aliquæ herbæ spontanea emersione nascuntur, sic & illa ultrò succrevisse credantur. Et quia hæreses incendia sunt, & bella pariunt, in incunabulis ipsis debēt supprimi, antequam crescant, & omni remedio humano careant.

Bella sponte nascētia.

Hæreses in initio opprimēdæ.

XI. Et quidem, si ageretur tantummodò de motu qui falsò adscribebatur terræ, non puto fuissent soliciti Domini Eminentissimi: quæstio erat Physica, & per duo sæcula tolerata aut permissa, quamdiu intra Philosophiæ cancellos mansit. At hoc ævo inceperunt sutores supra crepidam sapere, Astronomi supra Arithmeticam & Geometriam, & velle torquere ad sensa sua authoritates Sacræ Paginæ, quæ potiùs terram firmant, quàm volvunt. Et quia sacra non debent manu illotâ tractari, displicuerunt Astronomi, qui temerario ausu falcem audacem in messem alienam immiserant. Sacræ Paginæ expositio probabilis ad sacræ Theologiæ Professores, & infallibilis ad summum Pontificem spectat: non ad Arithmeticos, non ad Geometras, non ad Astronomos & Mathematicos: &, si isti audeant, ubi Theologi timidè & circumspectè procedunt, coërcendi sunt. Defenditur à Calvinistis hodie motus terræ magno nisu: & cur? ut Cœlo & Syderibus quietem accenseant? Minimè. Nihil enim est illis & cœlo commune. Cur igitur (N.B.) ut suggestum erigant, in quo suas machinas & bellica tormenta ponant, Christianæ Religionis articulos oppugnatura. Considera sequentē discursum. [Doctrinam Copernici de motu telluris diurno & annuo admittit Ecclesia Romana: ergo admittit in Sacrâ Scripturâ sensum metaphoricum, apparentem, & opinativum: patet consequentia, quia testimonia quæ contra terræ motum adducuntur, nisi ad metaphoras & abusus sententiarum trahantur, quietem evincunt. Ergo & poterimus nos eosdem sensus admittere, cùm Sacram Paginam interpretamur. Ergo & poterimus, dum proferimus baptismi verba, infantes abluere per famulos, nos enim moraliter facimus, quæ fieri per ministros jubemus.

Cur hodie Hæretici motū terræ defendāt?

De sensu metaphorico Sacræ Scripturæ

An in baptismo alter possit aquā fundere, & alter verba prounūciare.

An uti possimus aquâ odoraceâ. bemus. Ergo poterimus uti aquâ artificiali in Baptismo, etsi enim non sit aqua vera, est aqua apparens. Ergo poterimus ad metaphoras trahere testimonia, quæ *An deleãtur peccata?* apud Catholicos Confirmationis sacramentum evincunt. Peccata ergo teguntur, non delentur: gratia imputatur, non con- *An detur gratia?* fertur: nec loca Sacræ Paginæ, quæ contra adduci solent, signi- *An Christ⁹ sit in Eucharistiâ?* ficant quantum apparet. Consecrationis ergo verba sunt admittenda metaphoricê, & transsubstantiatio neganda. Ordo igitur *An Ordo & Matrimoniũ sint contractus Politici?* & Matrimonium Politici & apparentes status sunt non veri: & quidquid de extremâ unctione dicitur præter Romanorum opinationem nihil habet.] Ecce *An detur Extrema Unctionis Sacramẽtum?* Hæreticos Ectheseon mirabiles textores, quàm cautè humana divinis immiscent, confundunt Theologicis Physica, & pro suâ hæresi undiq; argumenta corradunt.

Quid ad hæc deberemus respondere Catholici? Nihil oc- *XVI. Facilius est antecedens negare, quàm illo admisso cõsequens.* currit facilius, nihil melius, quàm primum antecedens negare. Debemus igitur agere gratias Eminentissimorum Dominorum Cardinalium confessui, quòd nos ab hoc argumento tam facili negotio expedierit, Copernici doctrinam condemnando.

Hinc patet, quid respondendum sit, inquirentibus, *An, qui tellurem circumducunt, dicendi sint inobedientes, an etiam hæretici vel temerarii?*

Respondeo illos, & esse inobedientes, quia interdictam opinionem tuentur: & esse temerarios practicè, quia improbabilem practicè: addo eosdem, si contumaces sint, posse practicè puniri ut hæreticos, tum quia est suspectus de fide, qui Ecclesiæ obedire ex malitiâ non vult; tũ, quia Cardinales, penes quos est practicum Ecclesiæ regimen, Aristarchi doctrinam erroneam & Sacræ Scripturæ contrariam judicarunt. Addo tamen Cardinales non fecisse per hanc Declarationem, quod motus terræ esset hæreticus, sed fecisse, ut ille qui aliàs erat hæreticus, & putabatur verus, esse hæreticus & Scripturæ oppositus ab omnibus cognosceretur. NB.

III.

At hîc poterit dubitare non- *XVII. An Galilæi liber de motu terræ superiorũ authoritate & approbatione impressũ sit?* nemo, *An hodie hæc ipsa inhibitio ablata aut moderata sit*, nam ante annos pauculos, prodiit SYSTEMA COSMICUM authore Galilæo Galilæi Lynceo: in quo Sol in centro mũdi quiescere asseritur, & tamen impressum est

est superiorum permissu, & præ se fert licentias Æ. Episcopi Bellicartensis vices gerentis, Fr. Nicolai S. Palatii Apostolici Magistri, Petri Nicolini Vic. generalis Florentiæ. Fr. Clementis Ægidii, Inquisitoris generalis Florẽtiæ, Nicolai Dell'Altella &c. Anne omnes istæ Facultates confictæ? & si verè concessæ, quid ille liber habet, quod Copernicani non habeant?

Resolutio. Respondeo hoc dubium propositum fuisse Lovanii Viris Magnis, eosque omnes Censuras illas dixisse fictas: quibus etiam subscribo, quousque mihi constet contrarium. Imò iam constare videtur, hodie enim defendendi Aristarchi Systema nulli facultas datur. Imò iam iterum liquidiùs constat: nam Censores Romani ad petitionem meã ad Eminentissimi Chisii mandatum dum hanc quæstionem examinarent & censurarent, hic posuerunt hanc notam, *Imò hac de causâ, & ob hunc librum Galilaus c[illegible]ceratus fuit, & coactus retractare suam sententiam.*

IV.

XVIII. Obiectio. AT expediret inquies in controversiâ Philosophicâ ingeniis libertatem concedere & campos doctrinæ & eruditionis non claudere?

Sic loqueris, & multi tecum: nam ut rem fatear, in hac materiâ Hæretici contra Eminentissimos Dominos Cardinales insaniunt, & multi Astronomi Catholici ægrè tacent, & omnium aut ferè vox est, *Si contrarium de fide non est, hoc verum est:* & semper conqueruntur, rem purè astronomicam à non Astronomis (nõ enim Cardinalium Theologi profitentur hanc artem) in judicium vocatam. *Cõmunis eaq; conditionata Astronomorũ Catholicorum Resolutio.* Habeo inter alios amicos, quendam virum doctissimum, ipsumque S. Theologiæ Doctorem, qui ut ait, minori difficultate assentitur Sacramento Eucharistiæ, quam Solis motui; & tamen aut tacet, aut terram non moveri asserit, ne difficultates patiatur: at ipsũ temerè sic loqui & sentire inferiùs demonstraturus sum. Recepi ab alio, etiam doctissimo, multas epistolas de hâc materiâ & uberioris doctrinæ gratiâ ex unâ lineas subsequentes excerpo.

XIX. Littera cu iusdã Duacẽni Doctoris viri doctissimi & dignissimi. MIrificas ago gratias, quod dignata sit eximere aliquot scrupulos qui occurrerunt in lectione libelli sui de perpendiculorum inconstantia. Deerat sanè hoc ad instructionem rudio-

diorum, inter quos ego sum, qui non ambio nomen Astronomi, benè Astrophili. Addideram aliquid de motu terræ diurno, non quòd velim refragari Declarationibus & Statutis Eminentissim. Cardinalium, à quibus Copernicanis olim & etiam nuper os oppessulatum est; sed quia notavi in decreto Aloysii Carafei typis edito anno 1633. contra Galilæum Galilæi duas sententias coniunctim prohiberi his verbis. [*Illam Galilai sententiam nempè Solem esse centrum nec moveri motu locali declaraverat* (*Cardinalium Congregatio*) *absurdam & falsam in Philosophia & formaliter hæreticam, cùm sit expressè contrà Scripturam Sacram: aliamque assertionem eius videlicet, Terram mundi centrum non esse, nec stare immobilem, sed moveri motu locali & diurno censuerat pariter absurdum & falsum in Philosophiâ. In Theologiâ verò ad minimùm in fide erroneam &c.* Origanus autem neque unum docet, neque alterum. VERUM EST, quod in hâc materiâ linguam comprimo, ut par est; nihilominus conatus sum ab aliquot annis solvere argumenta Ioann. Morini, & aliorum qui motum terræ impugnant, & ostendere; quod argumenta eorum non convincant, idque in publico consessu Quæstionum Quodlibeticarum; quod etiam fecerunt postmodum Patres Societatis in Thesibus impressis, & diceret quis Terram dici *stabilem* in Scripturâ eo modo, quo Boëtius Severinus *lib. 1. de cons. Phil.* Firmamentum vocat *orbem stabilem*, quia etiamsi moveatur, & mutet locum secundùm partes, non tamen secundum totum in sententiâ Origani. Addidi & Longomontani, quia ipsemet *in Astronomiâ Danicâ lib. 1. cap. 1.* dicit: *Terram autem super centro in medio moveri, & diurnam revolutionem ab occasu in ortum proficere magno compendio naturæ, nos cum D. Origano & aliis viris præstantibus asserimus.* Sed abrumpo ne importuniùs obstrepem vestris doctissimis auribus aliunde occupatis &c. Sic ille.

Legantur attentè ista verba.

Censet non interdici à Cardinalibus sententiã Davidis Origani: at liber expurgatorius S. Inquisitionis Hispanicæ expressè delet hanc Davidis sententiã. An hodie defendi illo possit, & quo sensu.

V.

EGo autem non tanti facio terræ motum imò nec totam terram, ut propter illam velim, non dicam Dei aut Ecclesiæ, sed ne unius quidem boni amici indignationem incurrere; adeòque protestor in hoc rerum genè- XX.

Stando nudæ rationi utraq; sententia est improbabilis. Intolerabilis est Copernicana à Fixis ad Saturnum distantia? Iam est antiquata doctrina Ptolemæi.

genere hanc me habiturum opinionem, quem iusserit Ecclesia Romana: cùm autem stando rationi neutra opinio videatur impossibilis (quis enim Copernicanus ita insanire vellet, ut diceret, non posse Deum concedere mundum, qualem esse cōditum DD. Cardinales affirmāt?) cùm utraque suas difficultates patiatur (quis enim toleret immensam illam abyssum, quam inter fixas & sphæram Saturni debent ponere, qui tellurem pervertūt) nescio enim, an stando puræ rationi magis dissonent omnia, quæ tenentur concedere Tychonici (nam de Ptolomaico Systemate iam est actum) quàm hæc unica abyssus, quam non potest negare Copernicus?

Hinc patet Scientiarum esse rudes, qui tàm difficilem creditu dicunt quietem terræ, quàm venerabilis Sacramenti veritatem. Illa enim naturæ vires non superat, ista superat: & hoc nescire, est Astronomiam & Philosophiam ignorare. Rem fatear: Viri etiam docti affectibus reguntur interdum, & quæ iste edisserit, non nascuntur ex mente, sed ex corde odio Tychoniex doctrinæ præoccupato.

VI.

XXI. Dubia nōnulla proponuntur.

IAm difficultatem penetras & uberioris doctrinæ gratiâ, quatuor dubia proponis, quorum claram solutionem desideras. Nam quæris

PRIMÒ an DD. Cardinalium inhibitio adhuc perstet; an verò sit sublata aut mitigata?

SECUNDÒ, Si non mitigata nec sublata dicatur, quomodo Romæ & Florentiæ Systema Cosmicum Galilæi fuit approbatum, benignis censuris honoratum, & typis vulgari permissum?

Sed fortè displicebit nonnullis hæc Positio, quia cōcedit Cardinalibus authoritatem faciendi sententiam improbabilem.

TERTIÒ, An Censorum Romanorum pace possit admitti hæc Propositio, *Nulla datur ratio speculativa aut practica, hoc est nullum argumentum insensibile aut sensibile, Terræ quietem evincens: Sacræ Scripturæ testimonia, quæ contra Aristarchum citantur, potuerunt probabiliter* (aut impunè saltem) *solvi ante Dominorum Cardinalium Decretum, jam non possunt; positâ enim verâ Sacræ Scripturæ intelligentiâ nulli probabilitati datur locus?*

QUARTÒ, An ab Eminentissimis Dominis non solùm damnetur in Galilæo Aristarchi doctrina, sed etiam Davidis Origani: nam & hanc Hispanica Inquisitio condemnat?

VII.

XXII. *Praecedentia dubia dissolvuntur.*

QUid ad hæc respondendum sit dubia, ex dictis potest sufficienter colligi. Respondeo enim

AD PRIMUM, perstare hodie Eminentissimorum Dominorum Cardinalium sentētiam; nec sublatam esse, nec mitigatam.

AD SECUNDUM respondeo, quæstiones, quas vocamus de facto, à testium productione pendere. Et quia non videtur verosimile, quod ille liber præ se fert, multis Viris magnis subscribens, puto illum typis subreptitiis editum, & omnes illas censuras & approbationes, quibus munitur, esse fictas. Qui sunt Romæ poterunt rem melius examinare, nam præsumptio prudens militat contra prædictum librum, quousque persuadeatur contrarium. [Imò iam examinarunt & monuerunt, ut videris *num.* 17.]

AD TERTIUM dico Propositionem illam, quæ Censuræ subjicitur, tres continere partes, omnes veras.

NB. *Prima* à Sacrâ Scripturâ præscindit, & asserit, nullum dari argumentum Philosophicum, vel desumptum à sensibus, vel depromptum à scientiis, quod terram quiescere, aut solem moveri demonstret. Et hoc est verum: quoniam pro utrâq; parte multæ sunt pulchræ & plausibiles ratiocinationes, nulla demonstrativa. Et stando nudæ rationi Planetarium Copernicæorū cœlum Tychonico & pulchrius & nobilius est: sed quid inde, si hæc ipsa nobilitas & pulchritudo habet annexam duplicem absurditatem, quam nemo libenter transglutiet. Quoniam inter Saturnum fixasque immēsa quædam adsignanda est distantia, omni corpore vacans, & ad nihil utilis, nisi ad tuendam opinionem Copernici. Et præter hoc, etiam fidem omnem superat, quod de minutissimis stellulis Copernicani necessariâ cōsequentiâ pronunciant: nimirùm minimam esse multis vicibus maiorem Sole: maximas mole suâ totum cœlum planetarum excedere. Et quis quæso in rerum naturâ toleret hæc immensa monstra, eo tantùm fine, ut Copernici opinionem defendat? Sed de his monstris uberiùs loquar paulò inferiùs.

Absurda in sententiâ Copernici. Immensa abyssus inter Planetas & Stellas. Harū immensa magnitudo.

Secunda ait, ante declarationem Cardinalium fuisse probabilem Aristarchi & Copernici delineationem. Et hoc ait verè: habuit enim pro se rationes plau-

plausibiles, & Authores illustres; & ab Ecclesiâ Catholicâ tolerabatur. At ipsa etiam tunc tam erat falsa & Sacræ Scripturæ contraria, quàm nunc: at id ipsum nesciebatur ab illis, qui eam sincero animo propugnabant: nam probabilitati non opponitur falsitas. Dicamus ergo Aristarchi opinionem ante Cardinalium declarationem fuisse Philosophicè probabilem; loquendo enim theologicè, loca Scripturæ tàm sunt clara, ut ante omnem Pontificis declarationē videantur Aristarchi doctrinam evidenter damnare.

Tertia addit modò probabilem non esse. Et etiam verè: quia omni practicâ probabilitate exuitur propositio, quæ ab Eminentissimis Dominis condemnatur.

An eodem netur diurnus motus?

Ad Quartum dico, non solùm condemnari ab Eminentissimis Dominis telluris annuam revolutionem, sed etiam diurnam: & hanc, non solùm in Systemate Copernicano, in quo annuam necessariò consequitur; sed etiam Systemate Origani & Logomontani. Et de hoc dubium movere non poterit, qui attentè legerit Aloysii Carafæ decretum.

VIII.

XXIII. De Tychone & Longomontano Iudicium.

Sed quia horum duorum Authorum (Origani & Logomontani) Cœlum toto cœlo, ut dicitur, differt à Copernicano, de quo hucùsque disserui; quid de illo sentiam, studiosè requiris.

Et respondeo illud duobus modis (nimirùm, physicè & theologicè) posse considerari. Et quidem, si consideretur physicè, magno compendio satisfacit observationibus, & liberat sublimia corpora motuum contrarietate, quàm illis communis accenset opinio. Fixas stellas immediatè supra Saturnum collocat; & earum molem non adauget. Ergo per Physicam stat, ut tellus Origano & Longomōtano obediat, & ab occasu in ortum motu diurno moveatur. Ergo ne agi in gyrum dicetur? Minimè: quoniam Sacræ Paginæ loca, quę motum telluris condemnant, vix agunt de annuo: & ne multa congeram, unum produco.

Sacra Pagina potiùs diurnū motum condemnat.

Irruerat in hostes Josue, & illos ruperat, & in fugam egerat: persequutus est illos nō sine periculis & difficultatibus totâ illâ nocte; & die etiam sequenti usq; ad meridiem. Cæterùm quia dispersos tueri poterant & occulere tenebræ, summâ ad cœlum con-

confidentiâ oculos subrigit, & ait, *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon.* Et quo id eventu? Steterunt Sol & Luna; &c. *Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit anteà & posteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis & pugnante pro Israël.* Quem locum sic exponit Isidorus Clarius Episcopus Fulginatensis. [Gabaon fuit in tribu Beniamin, & Aialon in tribu Dan: fuitque circa meridiem cùm Iosue iuberet stare Solem, sicut textus indicat. Stetit autem Sol in loco illo immobilis tãto temporis intervallo, quo aliàs cursu suo diem creasset, hoc est, spatio viginti-quatuor horarum, si capitur pro die naturali sicut Hebræi exponunt.]

Iosue.10.c.

Vbi fuerit Gabaon? ubi Aialon?

XXIV.

Religio textum & rem totam considerans, infero (quidquid de annuâ sit, qui tamen sine diurnâ admitti non potest) istis Sacræ Paginæ verbis telluris cõversionem quotidianam negari: quod sic demonstro. Intentum Iosuæ fuit, ut dies esset longior, & Sol non occumberet, quoùsque ipse plenam victoriam adipisceretur: sed si Solis motus annuus sisteretur, dies fuisset brevior. [Quadriennio enim, hoc est, diebus 1461. cõvertitur Sol motu rapto, quem vocant, 1461. vicibus: licet sydera fixa eodem tempore compleant 1465. revolutiones: quas etiam Sol conficeret, si alicui puncto fixus motu annuo careret. Ergo si aliquibus horis sisteretur Sol in suo orbe, velociùs raperetur motu rapto: ergo citiùs ad occasum descẽderet.] Ergo motus, quo Solẽ exuit Iosue, non fuit annuus, sed diurnus. Ergo iste non erat in terrâ, sed in Sole. Ergo testimonia, quæ terram non moveri convincunt, directè motum diurnum oppugnant: & indirectè annuum, qui negato diurno probabiliter admitti non potest. Ergo non solùm Aristarchi & Copernici, sed etiam Origani & Longomontani Systema Sacræ Scripturæ contradicit, & meritò ab Ecclesiâ damnatur. Ergo siquidem de Ptolemaico actum iam est, manet Tychonicum.

Iosuæ intẽtum.

IX.

XXV. An Deus obediat hominibus, & quo id sensu?

Eruditio postulat, ut citatus Sacræ Paginæ textus benè intelligatur: & quia ibi dicitur *Deus voci hominis obedivisse*, hunc inde pro motu terræ argumentum esformas. Sic ais.

Contextus iste debet eodem

ſenſu explicari: ergo vel totus intelligi debet metaphoricè, vel totus rigorosè & propriè. Si Sol ſtetit in ſenſu rigoroſo & proprio, etiam Deus obedivit in ſenſu rigoroſo & proprio: & quia obedientia dicit ſubordinationem & inæqualitatem, Deus rigorosè & propriè loquendo fuit minor homine, & hominis imperio ſubdiſus: quod ſine blaſphemiâ ſacrilegâ dici non poteſt. Si dicatur obedientia Dei erga hominem fuiſſe apparens metaphoricaque; etiam quies Solis & Lunæ apparens & metaphoricus eſſe dicetur. At, ſi Sol & Luna apparenter & metaphoricè quieverunt; terra fuit, quæ quievit verè & realiter. Ergo motus diurnus non eſt in cœlo, ſed in terrâ.

XXVI. *De voluntate ſigni in Deo.* Præterea, cognoſcunt in Deo Theologi voluntatem ſigni, quam ſic explicant. [Dicimus, aiunt, in Deo eſſe furorem, iram, pœnitentiam, dolorem: non quod eiuſmodi paſſiones & perturbationes ſint in eo: ſed quod videamus effectus, qui in nobis ab eiuſmodi paſſionibus & affectibus veniunt.] Ergo non obſtante reverentiâ Deo debitâ, poterimus dicere eum obediẽtiâ ſigni obedientem fuiſſe homini; quia tametſi Deus homini obedire non poſſit, effectum dedit, quem dediſſet, ſi homini obediiſſet de facto. Ergo conſequenter poterimus dicere, quietem Solis & Lunæ fuiſſe quietem ſigni; quia licèt Sol non quieverit, ſed terra, effectus omninò fuit idem: dici enim longitudo æquè quiete Solis in ſphœrâ Tychonis, ac quiete Terræ in ſphœrâ Copernici (aut etiam Origani, & Longomontani) ſalvatur. *De quiete ſigni in Sole.*

Ut huic ſatisfaciam obiectioni duæ mihi ſolutiones ſuccurrunt: altera, quæ iubet recognoſci Hebræum textum; altera, quæ manet in Latino.

XXVII. *Coniugationes Hebræorũ inexplicabiles in aliis linguis.* PRIOREM Do. Sunt apud Hebræos multæ coniugationes (ſeu voces potiùs) quæ alterant ſenſum, & non poſſunt exprimi latinè nec græcè: inter ipſas ſunt duæ *Pahal* & *Hiphil.* Illa ſignificat *facere*, hæc autem *determinare aliquem ut faciat.* Huius character eſt *He* primæ radicali præfixus: qui ſolet eſſe expreſsè, & interdum implicitè, manente ſignificationis poteſtate. Sic dicimus פקד Pakad *viſitavit*: & הפקיד Hipkid, *Fecit, quòd aliquis viſitaret.* *Pahal. Hiphil.*

D Hinc

Hinc aliquibus testimoniis lux. Ponam unum, ut cætera intelligere possis. Jubetur Abraham sacrificare filium suum: obédiit: conduxit puellum ad montem: *in quo ædificavit altare, & desuper ligna composuit. Cùmque colligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare, super struem lignorum: extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum. Et ecce Angelus Domini de cælo clamavit dicens. Abraham. Abraham. Qui respondit. Adsum. Dixitq. ei. Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam; nunc cognovi quòd timeas Deum; & non pepercisti unigenito tuo propter me.* Legunt istud *propter me* Expositores, & Deum fuisse, qui per Angelum loquebatur, affirmant. Igitur, si loquebatur Deus, quare dicit, *Nunc cognovi,* ac si priùs non cognovisset? An non est infinitè sapiens Deus? Respondet Marcus Marinus Brixianus, illam vocem ידעתי *Iadahti* licèt habeat formam *Pahal*, habere significationem vocis *Hiphil*, & posse verti *Feci cognoscere*: ut tota oratio sit, *Nunc manifestavi, & feci, quòd universi sciant, quòd times Dominum.*

Genes. 22.

De⁹ novas notitias nō adquirit.

Hinc doctior & eruditior venio ad Iosuam, & aio, obedientiam illam, de quâ in sacro textu fit mentio, exprimi per formam *Pahal*, sed habere significationem vocis *Hiphil*: & sic textum interpretor, *Non fuit anteà & posteà tam longa dies: obediente* (hoc est, *faciente Deo, ut Sol obediret*) *voci hominis: & pugnante* (hoc est, *faciente, quod elementa cælumq.*) *pugnarent pro Israël.*

XXVIII. Distinctio virtualis.

Posteriorem interpretationem subiungo. Aio multa humana, quæ formaliter sumpta imperfectionem manifestam involvunt, adtribui ab hominibus Deo virtualiter: nam dicunt attributa & relationes virtualiter ab essentiâ distingui: quia licèt verè & realiter non distinguantur, ita se habent, ac si realiter distinguerentur. Voluntatem Divinam per actum liberum mutari virtualiter: quia licèt realiter non mutetur, ita tamen se habet, ac si realiter mutaretur. &c. Ergo poterit dici Deus homini obedire virtualiter; quia licet verè & propriè loquendo non sit inferior nec homini subjici possit, ita se habere vult, ac si deberet obedire.

Mutatio virtualis.

Obediētia virtualis.

X.

XXIX. Quies virtualis.

Dices. Ergo & poterimus dicere, Solem & Lunam stetisse virtualiter: hoc est, non stetisse verè & realiter, sed propter miraculosam terræ quietem ita se

ſe habuiſſe, ac ſi realiter ſtetisſent.

Nego conſequentiam; & regulam valdè neceſſariam ſubiungo. Sic inquam. *In expoſitione Sacra Pagina inſiſtendum eſt ſenſui literali, quamdiù iſte non dicat implicantiam, quæ nos cogat ad metaphoras, aut ad moralitates recurrere.* Cùm igitur ſit evidẽter certum, quòd ſubordinatio vera repugnet Deo; & etiam evidenter ſit certum, quòd motus non repugnet Soli; opus eſt, ut cùm Deus dicitur *obedire creatura*, ad moralitates & virtualitates recurramus: & cùm Sol dicitur *moveri*, literam in ſenſu reali & proprio intelligamus.

Regula generalis pro expoſitione Sacra Pagina.

XI.

XXX. *An poſſit demõſtrari terra quies?*

ET, quid ſi prodierit perindie aliqua Demonſtratio Aſtronomica, quæ Solem non moveri convincat? Quid, ſi per doctrinam parallaxeon terram moveri evidenter & clarè convincatur?

Reſpondeo citra miraculum nõ poſſe dari demonſtrationem phyſicam, quæ terram quieſcere aut moveri perſuadeat; adeòque fruſtrà ſe & nos fatigare Mathematicorum ingenia, cùm vel volunt tellurem circumducere aut ſiſtere. Nec volo hîc multùm diſputare, quia contrarium eſt velle nimiùm ſapere, quod expertiſſimi in hâc controverſiâ, ridemus.

Quid, ſi hæc ipſa demonſtratio, quam impoſſibilem eſſe diximus, olim daretur?

An Fides ſit demonſtrationi poſtponenda?

Reſponderet hic aliquis, in tali caſu adſentiendum eſſe demonſtrationi (eſt enim ſupponendum eſſe legitimam & verã) at in illo caſu dici non poſſe, Eccleſiam Romanam erraviſſe: non enim hanc propoſitionem ſpeculativè ſumptam Generale Concilium, aut Pontifex ex cathedrâ propoſuit univerſæ Eccleſiæ ut Articulum fidei; ita ut vellet ipſummet internũ disſenſum eſſe hæreſim: ſed Cardinalium Eminentiſſimum Tribunal, cuius authoritas inter homines ſumma eſt, definivit non dari rationem humanitùs, propter quam non dicatur motus terræ Sacræ Scripturæ contradicere: adeòque practicè deberi haberi tanquam hæreticum qui Pontifici per Cardinales ſuos cum pertinaciâ contradicat. Quòd, ſi per impoſſibile cras haberetur aliqua nova demonſtratio, tunc inciperet dari humanitùs ratio propter quam poſſent permittere Eminentiſſimi Domini, ut in expoſitione Capitis X. Ioſuæ ad ſenſum aliquem ap-

Hinc aliquibus testimoniis lux. Ponam unum, ut cætera intelligere possis. Jubetur Abraham sacrificare filium suum: obédiit: conduxit puellum ad montem: *in quo ædificavit altare, & desuper ligna composuit. Cùmque colligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare, super struem lignorum: extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum. Et ecce Angelus Domini de cælo clamavit dicens. Abraham. Abraham. Qui respondit. Adsum. Dixitq́; ei. Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam; nunc cognovi quòd timeas Deum; & non pepercisti unigenito tuo propter me.* Legunt istud *propter me* Expositores, & Deum fuisse, qui per Angelum loquebatur, affirmant. Igitur, si loquebatur Deus, quare dicit, *Nunc cognovi*, ac si priùs non cognovisset? An non est infinitè sapiens Deus? Respondet Marcus Marinus Brixianus, illam vocem ירעתי *Iadahti* licèt habeat formam *Pahal*, habere significationem vocis *Hiphil*, & posse verti *Feci cognoscere*: ut tota oratio sit, *Nunc manifestavi, & feci, quòd universi sciant, quòd times Dominum.*

Gene∫.22.

Deus novas notitias nō adquirit.

Hinc doctior & eruditior venio ad Iosuam, & aio, obedientiam illam, de quâ in sacro textu fit mentio, exprimi per formam *Pahal*, sed habere significationem vocis *Hiphil*: & sic textum interpretor, *Non fuit antea & posteà tam longa dies: obediente* (hoc est, *faciente Deo, ut Sol obediret*) *voci hominis: & pugnante* (hoc est, *faciente, quod elementa cælumq́;*) *pugnarent pro Israël.*

XXVIII. Distinctio virtualis.

POSTERIOREM interpretationem subiungo. Aio multa humana, quæ formaliter sumpta imperfectionem manifestam involvunt, adtribui ab hominibus Deo virtualiter: nam dicunt attributa & relationes virtualiter ab essentiâ distingui: quia licèt verè & realiter non distinguantur, ita se habent, ac si realiter distinguerentur. Voluntatem Divinam per actum liberum mutari virtualiter: quia licèt realiter non mutetur, ita tamen se habet, ac si realiter mutaretur. &c. Ergo poterit dici Deus homini obedire virtualiter; quia licet verè & propriè loquendo non sit inferior nec homini subjici possit, ita se habere vult, ac si deberet obedire.

Mutatio virtualis.

Obedientia virtualis.

X.

DIces. Ergo & poterimus dicere, Solem & Lunam stetisse virtualiter: hoc est, non stetisse verè & realiter, sed propter miraculosam terræ quietem ita

XXIX. Quies virtualis.

se

se habuisse, ac si realiter stetissent.

Nego consequentiam; & regulam valdè necessariam subiungo. Sic inquam. *In expositione Sacræ Paginæ insistendum est sensui literali, quamdiù iste non dicat implicantiam, quæ nos cogat ad metaphoras, aut ad moralitates recurrere.* Cùm igitur sit evidêter certum, quòd subordinatio vera repugnet Deo; & etiam evidenter sit certum, quòd motus non repugnet Soli; opus est, ut cùm Deus dicitur *obedire creaturæ*, ad moralitates & virtualitates recurramus: & cùm Sol dicitur *moveri*, literam in sensu reali & proprio intelligamus.

Regula generalis pro expositione Sacræ Paginæ.

XI.

XXX. *An possit demõstrari terra quies?*

ET, quid si prodierit perindie aliqua Demonstratio Astronomica, quæ Solem non moveri convincat? Quid, si per doctrinam parallaxeon terram moveri evidenter & clarè convincatur?

Respondeo citra miraculum nõ posse dari demonstrationem physicam, quæ terram quiescere aut moveri persuadeat: adeòque frustrà se & nos fatigare Mathematicorum ingenia, cùm vel volunt tellurem circumducere aut sistere. Nec volo hîc multùm disputare, quia contrarium est velle nimiùm sapere, quod expertissimi in hâc controversiâ, ridemus.

An Fides sit demonstrationi postponenda?

Quid, si hæc ipsa demonstratio, quam impossibilem esse dicimus, olim daretur?

Responderet hic aliquis, in tali casu adsentiendum esse demonstrationi (est enim supponendum esse legitimam & verã) at in illo casu dici non posse, Ecclesiam Romanam erravisse: non enim hanc propositionem speculativè sumptam Generale Concilium, aut Pontifex ex cathedrâ proposuit universæ Ecclesiæ ut Articulum fidei; ita ut vellet ipsummet internũ dissensum esse hæresim: sed Cardinalium Eminentissimum Tribunal, cuius authoritas inter homines summa est, definivit non dari rationem humanitùs, propter quam non dicatur motus terræ Sacræ Scripturæ contradicere: adeòque practicè deberi haberi tanquam hæreticum qui Pontifici per Cardinales suos cum pertinaciâ contradicat. Quòd, si per impossibile cras haberetur aliqua nova demonstratio, tunc inciperet dari humanitùs ratio propter quam possent permittere Eminentissimi Domini, ut in expositione Capitis X. Iosuæ ad sensum aliquem ap-

parentem aut metaphoricum recurreretur. Sic fortè aliquis responderet, & fortè se involveret novis difficultatibus: Ego autem summâ cum facilitate me expedio. Assero igitur esse impossibile, quod olim moveri terram demonstrativè suadeatur. *Quid si suaderetur demonstrativè?* Respondeo uno impossibili admisso non esse absurdum si impossibilia & absurda sequantur.

XII.

XXXI. *An de systemate Mundi sit demõstratio?* NOn posse dari alterius utriusque systematis (Copernicani, aut Tychonici: aut etiam Origanici aut Longomontanici) demonstrationem, diximus; & audimur cum admiratione: quoniam multi Authores demonstrationes plurimas evulgarunt, quibus istis Heliocentricum, & illi Geocentricum Mundum evidenter persuadere nituntur: & inter ipsos nuperrimè Scheinerus, qui ex macularum solarium fluxu vult ostendere terram quiescere & Solem moveri. Hinc est, quod scire velis, quid de his demonstrationibus, se mutuò elidentibus, sentiam.

XXXII. *Nulla demonstratio demõstrationi contrariatur.* Respondeo contra demonstrationem unam, non posse alteram demonstrationem militare: adeòque esse evidenter falsum, quod utraque contradictionis pars habeat oppositas demonstrationes. Addo neutram partem habere mathematicam aliquam demonstrationem; multæ enim rationes sunt pulchræ & bonæ, nulla verò convincens. Ad Scheineri librum quod attinet, pulcher est, & à me permissus ire in lucem, & Censurâ aut potiùs elogio commendatus.

XIII.

De aliquibus opinionibus à Pontifice, aut etiam ab Eminentissimis Dominis condemnatis.

XXXIII. U*Lteriùs pergis, stet vel moveatur Olympus*: & sic discurris. [Olim erat probabilis absolutio in absentem directa: imò olim erat practicata. E multis casibus, quos accidisse probabile est, hunc propono ex P. Conrado Societatis Iesu.

Cùm olim tota Provincia Liffland in optimo Catholicæ Fidei flore & dignitate cõstituta esset; erat ibidem in celebertimâ civitate Riga Mona-

sterium

ſterium Virginum Ordinis S. Benedicti, S. Magdalenæ dicatum, quod plurimis maximæ nobilitatis Virginibus ditatum trecentis ferè annis in magnâ ſanctitate & obſervantiâ viguit, ab anno ſcilicet 1251. usquè ad 1550. Verùm cùm eo tempore in iisdem locis Peſtis Lutherana ingrueret, ac paulatim per membra ſe diffundendo ipſum totius Provinciæ corpus, & præcipuè pulcherrimam civitatem Rigam inficeret, celebre illud Monaſterium ita debilitatũ fuit, ut ſolummodò tres magnæ conſtantiæ Virgines perſeveraverint eoùsque, donec (Deo ita diſponente) in Collegium Societatis Ieſu ſit mutatum.

Cùm igitur hæreſis illa radices agere inciperet, vacillabant inprimis in Chriſtianâ Religione cives Rigenſes, quamdiù vivebat veræ Fidei propugnator Archiepiſcopus ibidem Thomas nomine: verùm quamprimum obiit, ac alter Wilhelmus de Brandenburg eâdem peſte infectus ſucceſſit, omnes unanimiter, (quia diſſimulabat omnia) in eandem hæreſin penitus ſunt delapſi, ita ut Clerici & alii Sacerdotes coacti fuerint ab uno ad alium locum diſcedere, donec ingraveſcente illa lue, ex totâ omninò Provinciâ expulſi, & Monaſteria ac bona Religioſorum facta fuerint præda Impiorum. Ita ut ſola civitas Rigenſis quatuor Monaſteria quâdam vice uno impetu invaſerit & ſpoliaverit, unum Patrum Dominicanorum, alterum F. Minorum ſtrictioris obſervantiæ, Franciſcanorũ alterum, & Virginum unum. Primum, quia erat extra civitatem ſitum, non ita curârunt: ex reliquis fecerunt diverſoria, tabernas, & loca pro nuptiis & conviviis habendis. Monachos verò ſuperſtites qui Clericos & Canonicos Apoſtatas in abnegatione veræ fidei, & ſacerdotalis caſtitatis ſequi nequaquã voluere, flagellis ceciderunt, & ex totâ Provinciâ expulerunt. &c.

Iam verò nihil reſiduum erat, niſi unicum hoc S. Magdalenæ Monaſterium, quod invadere non fuêre auſi propter plurimorum Nobilium filias, quæ in illo degebant. Præter hoc eo tempore optimum etiam erat, quod habuerint prudẽtiſſimam & devotiſſimam Abbatiſſam nomine Alidurangel, quæ omni viro generoſior inſtar muri pro defenſione Monaſterii ſe hoſtibus opponebat: illa enim, ne in re graviſſimi momenti ſuis deeſſe videretur, nulli labori pepercit, nullas expenſas reſpexit, nullum vitæ periculum timuit.

ſed ſæpè numero ſola omninò Archiepiſcopum, ſola Gubernatores illius Provinciæ adivit, ut bona ſui Monaſterii conſervaret, quod etiam in illâ tempeſtate obtinuit. &c.

Sanè longè aliter res agebatur poſtquam è vivis piiſſima illa Mater deceſſit, & in locum illius ſubſtituta fuit Eliſabetha Tenhoph: videbatur enim quoad externam apparentiam, quòd Chriſto ſuo Sponſo fidem ſervaret: internè tamen infidelitatem fovens in hæreſin delapſa, aliis eandem fidem frangendi cauſam dedit: ſiquidem plurimæ ex ipſis monaſticæ diſciplinæ & obſervantiæ oblitæ cum hæreticis familiaritatem inierunt: à quibus poſtmodùm perſuaſæ habitum ſanctum abjecerunt, & veſtibus pretioſiſſimis indutæ ſe hæreticis illis ſacrilego Matrimonio obſtrinxerunt &c. Tres tamen, nimirùm Anna Topel, quæ erat centũ & triginta annorum; Anna Netken, & Otilia, quarum quælibet centeſimum annum attigerat, conſtantiſſimè perſeverarunt (*de illis poſtmodùm multa ſcribuntur quæ recenſere longum foret.*)

Habebant hæ Virgines in Eccleſiâ ſui Monaſterii duodecim Altaria: ſecundum quorum numerũ duodecim Sacerdotes alebant; quorum obligatio erat pro Virginibus quotidie aut canere aut legere Miſſam, & iiſdem Venerabile Sacramentum porrigere & alia divina officia peragere. Verùm cùm omnes unico excepto, eandem peſtem contraxiſſent & longo tempore ex manibus huius qui perſeveraverat, ſacram Euchariſtiam ſumpſiſſent, tandem etiam obiit. Quid ergo? quò ſe verterent? in totâ Provinciâ non reperiebatur Sacerdos niſi in finibus Pruſſiæ in monaſterio quodam ruinæ jam proximo nomine Haſempot, quod quadraginta milliaribus diſtabat, unicus venerãdus Senex Monachus degebat. Ad hunc igitur, quandoquidem, qui illis Sacramentum porrigeret, non erat, communicare volentes unã nomine Otiliam clauſis & obſignatis litteris, in quibus quælibet ſua peccata patefecerat, miſerunt: & ille viciſſim Abſolutionem ſcriptò, unà cum tot hoſtiis conſecratis quot illarum erant, ac ſubinde etiàm plures, quas reverenter in Ciborio obſervabant, miſit. Modus verò ſumẽdi SS. Euchariſtiam erat iſte: Hoſtias cautè ex ciborio ſupra mundiſſimum Corporale mittebant, flexis poſtmodùm genibus alternatim ante illas declinato capite ſacram Hoſtiam lin-

linguâ tangentes ad os attraxêre: post quam sumptionem, omnes unanimiter Deo gratias agentes se ipsi commendarunt.

Adhæc consuetudo illarum erat, quotiescumque communicare vellent, pro meliori dispositione tribus diebus antè abstinere à carnibus, ovis & lacticiniis. Hunc modum confitendi, communicandi & abstinendi ideò proposuimus, ut putemus iniquitatē esse ejusmodi Exemplum harum Piissimarum Virginum silere & non potiùs omnibus patefacere &c.

Ita P. Conradus in libello, cui titulus: Brevis Descriptio seu Relatio, quomodo Monasterium Virginum Ord. S. Benedicti quondam, in Civitate Riga in Liffland in Collegium S. I. transierit.

Clemens VIII. tales confessiones & absolutiones, aut interdixit, aut damnavit: & nihilominùs R. P. Ludovicus Connæus S. Theol. Professor Pragæ, nec non studii Provincialis Director Assertionibus Theologicis, quas defendendas suscepit die 13. Decembris ann. 1650. Interrogationes septem addidit, quarum quinta erat hæc, nimirùm, *Valida-ne sit absolutio directa ad absentē post Clementis VIII. declarationem?* Respondeo esse standum Declarationi Pontificis.

Cùm igitur non sit declaratum opinionem contrariam esse hæreticam; qui illam tueatur, non erit hæreticus, at erit inobediens Ecclesiæ in re gravi, & tuebitur doctrinam temerariam & improbabilem cum scandalo & periculo in re gravi; & viroque titulo peccabit graviter. [Censor Romanus videtur resolvere multò benigniùs, inquit enim. *Congregatio non egit de doctrinâ, sed jussu Pontificis prohibuit actiones ipsas lege positivâ, quo præcepto Ecclesiæ stante jam illa omnia sunt certè illicita.*

XIV.

XXXIV.

Relicto motu terræ transitur ad alias materias.

ET veniendo ad inhibitiones & declarationes Cardinalium sic inquis. [Olim erant probabiles istæ opiniones. *I. Episcopi vigore Tridentini Concilii possunt reducere missas in fundatione positas. II. Quæ post illud relictæ possunt ad numerum minorem redigi. III. Generales Ordinum possunt missas ad pauciores ex causâ competente reducere. IV. Quando stipendium Missæ est ab Episcopo taxatum, si petens sibi celebrari non dat stipendium integrum, potest Sacerdos ab uno vel à diversis tot parva stipendia accipere, quot iustæ eleëmosynæ æquivaleant. V. Sacerdos pauper potest pro unâ missâ tot accipere stipendia,*

Septem opinionum circa missarum celebrationē Censura.

pendia, quod ad diurnam eius sustentationem sufficiant. VI. Die festo accipi potest duplum stipendium pro missâ. VII. Potest missa celebrari pro primo daturo stipendium. &c. Damnantur ab Eminentissimis Dominis teste Dianâ *part. 2. tract.14.resol.1.2.6.7.8.9.15.* quales igitur erunt modò? improbabiles, an tantummodò minùs probabiles? Si improbabiles, cur? an ob nudam reprobationem, an ob demonstrationem, quam hodiè habemus, cuius veteres non habuerunt notitiam?

XV.

XXXV. Pranotanda.

ANtequàm definitivam pronunciem, per hypothesin placet discurrere, & sic Philosophari aut dubitare. [Si sententiæ declaratæ & electæ à Cardinalibus dicantur esse probabiliores, reiectæ & damnatæ minùs probabiles, si addamus, neminem posse sequi opinionem minùs probabilem, quod etiam probabile est, & à multis asseritur, fortè sententia damnata à Cardinalibus teneri non poterit. Quid autem dicendum est, stando illi sententiæ, quæ hodie est omnium, nimirùm posse hominem tutâ conscientiâ sequi opinionem minùs probabilem?

An possimus sequi opinionem minùs probabilem?

Produco Dianam qui *part. 2. tract.13.resol.1.* tenet cùm communi sententiâ esse licitum relictâ opinione probabiliore & magis tutâ, sequi minùs probabilem & minùs tutam. & *part.1. tract.10.resol.29.* Declarationes Cardinalium non habere vim legis, nec illis necessariò standum: & tamen *part. 2. tract.14.resol.1.* ait, *Stante dictâ declaratione Illustrissimorum Cardinalium modò non esse amplectendam opinionem Henriquez & Miranda.* & resol.8. *Affirmativam sententiam probabilem putavit Ioann. de la Cruz, Ledesma, Molfesius; & absolutè illam docent & sustinent Sotus, Canus, Baia, Dom. Montagnolus, Angelus, Rodrigues, Fernandes, qui citat Honcalam, Tabienam, & Petrum de Aragon; & novissimè Didacus Nugnus, & ante illum Orellana, &c. Sed hæc opinio modò corruit: nam Sacra Congregatio in decretis. &c.* Sed cur corruit, si Dianâ teste tantùm est probabilior opinio, quam elegerunt Cardinales? Producto etiam Ausonium Noctinot, dignissimum & doctissimum virum, in Dianæ summâ dicentem Lectori benevolo. *Plerisq; incommodum erat eandem quæstionem pluries repeti; quod tamen authori necessarium fuerat, ut si qua opinio in priori parte excussa, oppugnata fuisset, in posteriore confirmaret: aliquas novis augeret inventis: in aliis iudicium prius*

Diana videtur sibi contradicere.

Item Ausonius Noctinot.

prius suspensum determinaret: in aliis demum modificaret, vel supervenientibus Sacræ Congregationis oraculis revocaret. Commune est omnibus harum doctrinarum Scriptoribus suas lucubrationes non simul & eodem tempore in lucem edentibus, non solùm ob eam, quæ à veritatis Interpretibus manant indies Responsa, quibus cervicem flectere necesse est; sed ob temporum etiam aliorumve accidentium vicissitudinem nostrique flexibilitatem ingenii, quæ nos pro diverso temporum statu rapiunt in diversa. Cui Tu. Si Dominorum Cardinalium responsis cervicem flectere necesse est, dabitur ratio, quæ hanc ipsam necessitatem evincat (nam nec probabilitas, nec etiam probabilioritas ullam potest inducere necessitatem) ergo illam dignabitur ille subministrare.

An Cardinaliũ Decisionibus stare debeamus necessariò?

XXXVI. Aliter de legibus & aliter de Declarationib⁹ Philosophandum est.

Sic placuit discurrere ex hypothesi; nunc venio ad absolutam & definitivam: & quia demonstrationes postulas, dum Ausonius concinnat eam quam petis, jubeo priùs Cardinalium leges à Declarationibus distingui, ut enim sub initium notavi, differunt toto cœlo, & istam rationem produco.

Authoritas speculativa.

Præter authoritatem speculativam pronunciandi articulos fidei, & obligandi mentes ad actus internos credendi, quæ residet in summo Pontifice ex cathedrâ ad totam Ecclesiam loquente; de quâ non agimus, quoniam Pontificum, quando non loquuntur ex cathedrâ, & Cardinalium declarationes ad Articulos Fidei non spectant, datur in Ecclesiâ authoritas practica circa colloquia, disputationes, scriptiones, & editiones opinionum (hæ enim omnes sunt actiones externæ, & ad Ecclesiæ quietem & Fidei unitatem, conservationem & propagationem necessariæ.) Ergo poterit de his omnibus Pontifex sancire salutares leges, quæ obligent sub mortali. At istam authoritatem suam commisit DD. Cardinalibus. Ergo eorumdem legibus obligant sub mortali. Ergo quando Cardinales aliquam sententiam condemnant, auferunt omnem eius extrinsecam & practicam authoritatem, & illam reddunt, non iam minùs probabilem, sed improbabilem. Ergo in tali casu, ut benè dicebat Ausonius, *Cervicem flectere necess. est.*

Authoritas practica.

Apud quẽ sit?

XVI.

OBjicies antiquas Michaelis Bayi preces, obloquutiones, appellationes: necnon no-

XXXVII. De erroribus Bayi & Iansenii.

E vam

vam Pseudoaugustinianorum contumaciam, qui per duodecim aut plures annos multas Assertiones defendunt, à quatuor Pontificibus condemnatas; qui mihi frequenter dixerunt, ad Generalia Concilia pertinere dare Articulos fidei, ad Theologiæ Doctores dare Mundo opiniones probabiles. Et quia post quinque Propositionum condemnationem, vides adhuc nonnullos Parisienses replicare, & sub libelli supplicis nomine insultare Pontifici; miraris rem tam certam ab integris, iisque Catholicis Universitatibus negari. Et quia una Universitas sufficit ad faciẽdam opinionem probabilem, obiicis ea omnia quæ de authoritate & potestate practicâ Cardinalium dicta & admissa à nobis probabiliter posse negari.

Quantæ sint authoritatis integra Academia?

XXXVII. Respondeo plerosque Pseudoaugustinianos, quos agnosco, esse viros pios & bonos, & licèt irritatio interdũ illos coëgerit, ut irreverenter loquerentur, communis illorum vox non erat nec est insultabunda, sed deprecatoria. Sub initium dicebant Bullam quâ Urbanus VIII. doctrinam Jansenii condemnabat esse falsam, & ab æmulis Iansenii confictam; posteà rei veritatem docti, esse subreptitiam, extortã, concessam ad malè narrata: nũc Pontificis authoritatem non negant, sed agunt de verâ intelligentiâ Diplomatis. Ergo Ianseniani (quidquid sit de opinionibus, quæ liberum concernunt arbitrium) cùm agitur de authoritate Pontificis & Cardinalium non distant à nostrâ sententiâ, nec negant Eminentissimorum Dominorum Consessui potestatem practicam condemnandi doctrinas, & evulgandi decreta de hâc re, quæ obstringant omnium Christianorum conscientias: sed solùm olim dicebant, se debere audiri (at miserunt Romam qui nomine illorum loquerentur & audirentur) & subreptitiis Bullis & legibus non obligari: & modò dicunt se indigere luce, ut intelligant assertiones damnatas (at ipsæ satis claræ sunt, nec luce indigent.) [Et hoc exposuerim, non ut aliquis opinetur doctrinæ Iansenianæ condemnationem fuisse subreptitiam; fuit enim magno consilio edita, & post longam deliberationem publicata: sed, ut omnes videant Iansenianos ipsos (Lovanienses, Parisienses) à nobis esse in quæstione de Iure: & ut se excusent ab obligatione obediendi, recurrere ad quæstionem de facto. Non enim condemnandi libros & Assertiones,

Eorumdẽ in suâ contumaciâ modestia.

negant

negant potestatem Pontifici, Cardinalibusque: sed illos aiunt à suis hostibus fuisse sinistrè & iniuriosè præoccupatos. Quod licèt falsum sit, tamen illorum in hâc materiâ opinionem ostendit.] Et quidem illustrium Virorum judicio Ianseniani summè reprehensibiles sunt, nec enim admitti debent excusationes & declarationes, quas evulgant; sed si obniti pergant, & Hæreticas propositiones defendant, tractandi erunt, ut Hæretici & excommunicati. [Censor Romanus hîc. *Aperit portam* (nimirùm qui responsionem eiusmodi, videlicet Iansenianistarum tolerat) *ad resistendum Bullis Pontificiis, in materiâ dogmaticâ sub prætextu, quod Pontifex sit malè informatus, confundit enim Bullas circa provisiones cum Bullis circa doctrinam, in quibus Pontifex non potest decipere, nec decipi à malè informantibus: & verè intendit damnare doctrinam ibi subjectam; alioquin nihil esset firmum in Ecclesiâ, si his occasionibus* (excusationibus) *locus daretur.*]

XVII.

XXXIX. LEgis Lovaniensium querelas (effudit primas Iacobus Segers Typographus; quas edidit secundò & tertiò semper auctas: alias nonnulli anonymi: & prout fuerunt occasiones & tempora, modestas, aut intemperantes) & inquiris, An non possit aliquando contingere, ut propositio facta Eminentissimis Dominis Cardinalibus sit fallax? hoc est An non aliquando ignorantiâ, aliquando malitiâ seducti proponentes possint & soleant rem aliter proponere, quàm in se sit? Et si id contingere possit & soleat, an non servatâ omni reverentiâ privatus Theologus, si propositionem factam Eminentissimis Dominis fuisse erroneam reperiat, possit dicere illos quidem iuxta casum propositum doctissimè & solidissimè respondisse, & nihilominùs eorundem Decisionem admittendam non esse, quia fuerunt malè instructi, & ut vulgò loquimur, malè informati?

An informationibus, quæ coram Eminentissimis DD. leguntur, error subesse possit?

Puto in hoc genere neminem concessurum Cardinalibus esse, quod Pōtifici summo negamus; oratus enim à Transalpinis, Bullas expedit condionatas, videlicet, *si preces veritate subsistant*; unde, si contingat easdem veritate destitui, non ideò dicendus est errasse Summus Pontifex, sed Bullam esse invalidam, & supplicantem condemnandum. Ergo simi- XL.

An summi Pontificis decretu?

similiter, si propositio facta Cardinalibus *veritate subsistat*, tunc eorundem Decisio vim habebit; cæterùm, si propositio fuerit mendax, non illi dicendi erravisse, sed Decisionem esse invalidam, & proponentem condemnandum.

XVIII.

XLI. *Quid dicendum sit de errore ab intrinseco?*

EX hoc dubio oritur aliud, An sicut in Eminentissimorum Dominorum tribunali ab extrinseco casus proponi malè solent, etiam ab intrinseco possint? puta, si, quod Deus avertat, contingat assumi indoctos viros, aut etiam aliàs doctos decidere quæstiones aliarum facultatum, in quâ viderentur indocti? quæstio enim subtilis Philosophica non solùm non potest ab homine ignorante decidi, sed neque à docto in aliâ scientiâ, puta à Pictore, Architecto, Sartore vel Sutore: quia ut olim benè inclamavit Apelles, *Sutor ne ultra crepidam*; habent enim suos terminos singulæ Facultates, & dum *Navita de ventis, de bobus narrat arator, et numerat miles vulnera, pastor oves.* Igitur si contingeret (sit casus possibilis aut impossibilis) Cardinales Theologos aut Canonistas resolvere aliquam quæstionem alicuius Facultatis Mechanicæ, quam illos ignorare censeres, an-ne in eodē casu (interrogo) tenereris eorundem resolutioni stare; & contra dictamen proprium, quod à te demonstrativis, aut probabilissimis saltem rationibus suaderi existimas, deberes captivare intellectum, & ut Ausonius Noctinotius loquitur, cervicem flectere? Nihil obiicio, ais, habemus enim in Cardinalium Consistorio præter Lugonem, Chisiumque alios viros doctissimos, qui non solùm sunt in dignitate, sed in omni scientiarum genere Eminentissimi, sed nec fuerunt, nec erunt omnia tempora nostro æqualia; doctrina generalis exigitur, quæ si servire modò nequeat, fortè olim sit servitura?

Hodie habemus Cardinales doctissimos.

XLII. *An omnes Cardinales sint docti?*

Sic tibi rem placuit proponere, & placebit audire responsionem sinceram. Non omnes sunt Doctores Theologiæ, qui ad purpuram promoventur Romæ; nam & Regum filii, & summi Europæ Principes assumuntur interdùm, etiam ætate teneri, prout videtur bonum publicum postulare. At cæteri sunt Viri docti, & inter doctos nonnulli reperiuntur doctissimi, & ipsi admoti rebus arduis. Habent singuli suos Consiliarios (Theologos, Canonistas,) & licet

cet hîc aut ibi non sit felix semper electio, error est rarus: Ergo stando cursui ordinario rerum impossibilis est casus quem ponis: sed neque ipse est possibilis stando cursui miraculorum, mira enim quotidie patrat Deus ut suam exaltet & promoveat Ecclesiam, non autem ut illam supprimat & conquasset.

Contrà bonum Ecclesiæ Deus nō patrat miracula.

XIX.

XLIII. Cōdemnari ne possit opinio probabilis?

QUæstionem odio plenam excitas, sed quam sine odio & injuriâ ut spero, resolvam. Video, inquis multorum Authorum opiniones ab Inquisitionis Tribunali, video à Congregatione Cardinalium expungi, &, ut vulgus loquitur, condemnari; & inquiro, *An detur in mundo visibili authoritas condemnandi opiniones probabiles?* Antequàm meam sententiam proponam, ponendi erunt ob oculos Patres Carmelitani discalceati in Hispaniâ, qui ante annos viginti Ordinis Prophetici mirabilem historiam evulgarunt, quæ varias subiit Theologorum censuras. Traductus fuit ab ignorantibus liber & accusatus. Ut priorem tueantur, edunt alterum Patres, quem olim libenter legi, ex quo nunc potissimas Positiones assumo.

Aliud est definire

Prima erat. *Alterius est dare Ecclesiæ articulos Fidei, & definire quænam propositiones sint hæreticæ, & alterius est Hæreticas (seu personas seu propositiones) comburere.* Quod dilucido & probo. Quæritur hodiè an Regina angelorū caruerit peccato originali? Hæc controversia videtur non fuisse tacta à Patribus, ante quingentos annos multi videntur tenuisse opinionem severam: hodie cuius sint Doctores nescimus, nam siqui contrariam tenent, præcipiuntur aut tacere aut loqui nobiscum, qui piam defendimus. [Quod ipsum notatum volo contra Pozam, qui frequentissimè asserit illam, quæ pia vocatur, esse hoc ævo omniū Catholicorum opinionem: nam ego, quam opinionem habeam scio, quam habeas nescio, nec ex verbis eam colligere possum, nam si fortè severam teneas, nec licitè, nec impunè illam prodes; & si prudens sis, malles in materiâ probabili (damnare enim hæreseos piam sententiam, delirare est) te accommodare Superiorū dictamini, quam coram Deo in conscientiâ, coram Mundo in honore & commoditate pati jacturas aut censuras.] Desideramus hanc controversiam semel ab Ecclesiâ de.idi, & dicimus, à nullâ universitate, à nullo Tribunali Inquisitionis, à nullo

articulos & aliud comburere Hæreticos

An Deipara fuerit sine culpâ concepta?

An hodie alterutra opinio sit alicuius?

Hæc doctrina est vera: & si est vera, cur Thomistæ non sequūtur opinionem piam?

Cuius sit articulos Fidei definire?

Cardinalium Consistorio decîdi infallibiliter posse, ita ut transeat in articulum Fidei, & sint, qui dissentiant hæretici. Cæterùm quos Ecclesia hæreticos dixerit, seu articulos seu homines, poterit Inquisitio ultimâ sententiâ condemnare.

Ex hâc doctrinâ solidissimè inferebant Patres Carmelitani non spectare ad Hispanos condere Articulos Fidei, sed juxta datos ab Ecclesiâ Romanâ iudicare: cùm igitur in toto illo libro (sic dicebant) nihil esset, quod in articulos fidei impingeret, non esse cur illum Hispani condemnarent, nisi innocẽtem vellent; quod de illis præsumendum non erat.

XLIV. An purus Theologus habere in Inquisitione possit Qualificatoris officium?

Secunda. *Censores fuisse puros Theologos, parvæ aut nullius eruditionis, & qui non poterant de Historiâ judicare.* Et, ut rem ego fatear, cognosco nonnullos Censores doctissimos, cognosco & alios: paucos tamen & raros: & video humana omnia in mundo tractari humanitùs, & multa non posse aliter fieri, nam supremi Principes debent credere ministris suis, qui homines sunt, & possunt ut tales errare. Cæterùm hominem purum Theologum omnia posse, crediturus non sum. Habent cancellos suos Facultates, & qui in Philosophiâ excellit, solet esse rudis in Jure; & qui inter Medicos eminet, solet esse incapax ut Theologica tractet: nec mirum si Historica aut Politica nesciat, qui solùm Theologica didicit. Hanc ego veritatem experimento didici anno M. DC. XLVII. & M.DC.IL. & sæpè alibi. Nam, cùm anno 1647. tractaretur seriò de universali pace, quàm multa à Politicis contra veram Theologiam audivi! & quàm multa à Theologis contrà veram Politicam! & quàm pauca, quæ Politicam Christianam saperent! edidi de hâc materiâ specialem Tractatum (qui tamẽ impugnatoribus non caruit; nam dùm omnia Ecclesiastici, omnia sæculares desiderant, reprobant aliqui veritatem virtutemque, quæ medium tenet) & ideò non est cur plura addamus. Demus aliud exemplum: Anno 1649. Viennensis Universitas ad maiorem Divæ honorem sentẽtiam piam iuramenti firmavit: quà Theologa unanimi singulorum consensu: quà Iuridica non sine difficultate, superabili tamen: sed quantis turbinibus, quà Medica! Convenerunt me aliqui, conveni aliquos, & discere volebam, quæ esset remora, quæ illos detineret fluctuantes.

An omnia scire?

Ponitur exemplum in cõsultatione de S.R.Imperii Pace.

Additur secundum exemplũ, & exponitur cur Viennenses Medici sub initiũ noluerint iuramentum pium emittere in controversiâ Conceptionis immaculatæ?

Dabo

Dabo multorum exceptiones, quarum vi se excusabant. DICEBANT PRIMÒ, *Iuramentum illud non p ti, sed extorqueri à Cæsare; nec liberè procedere Vniversitatem.* SECUNDÒ, *Cæsarem non procedere liberè, sed ab aliis induci.* TERTIÒ, *hunc strepitum totum in odium D. Thomæ & Patrum Dominicanorum excitari.* QUARTÒ, *Vniversitatem non esse doctiorem Ecclesiâ nec debere definire, quod nondum Ecclesia fuit ausa.* QUINTÒ, *se non posse iurare Virginem conceptam fuisse sine culpâ; est enim res ignota & incerta, & talia nequeunt juramento firmari.* SEXTÒ, *Eos omnes qui eiusmodi juramentum emittunt, se exponere periculo, ut crastinâ die declarentur Hæretici & periuri, si Ecclesia definiat pro Dominicanis.* Hæc illi; qui tardè sedati & instructi, non sine magnâ Magnifici D. Joannis Guilielmi Manntagettæ, etiam Doctoris & Professoris Medici, (sed qui non est purus Medicus, sed in omni scientiâ versatissimus) diligentiâ & labore sequuti Theologos, tandem aliquandò sententiam benignam & piam iuramento firmarunt. Constat igitur errare frequenter sutorem, si ultra crepidam judicet; Medicum si ultra morbos & pharmaca.

D. Mannagetta, iterum iterumq; Rector Viennensis Vniversitatis laudatur.

XLV. CONquerebantur igitur Patres Carmelitani: quos auditos fuisse scio, exauditos audio. Ab eorumdem causâ supersedeo; non enim eam proposui, ut illos defenderem, aut impugnarem; alterutrum enim vellem, maiori indigerem notitiâ, quam habeo. Sed, ut sciret meus Lector, quo illi modo suæ Historiæ doctrinam (quam putabant probabilem) tuebantur. Ad rem venio, & qui Patrum Carmelitanorum opinionem proposui, propriam addo. *Pronuncio igitur*

PRIMÒ. *Aliud est interdicere & aliud doctrinam aliquam condemnare.* Patet ex dictis superiùs.

Aliud interdicere & aliud cōdemnare est.

SECUNDÒ. *Doctrina, non probabilis solùm, sed vera potest interdici.* Patet: quia & Biblia sacra ad linguas vulgares translata, sunt interdicta, & tamen continent doctrinam de fide.

An possint interdici vera?

Sed rogas, cur doctrina probabilis aut etiam vera interdicatur? *Respondeo* homines etiam rebus bonis abuti. Abutuntur cibis, abutuntur vestibus, abutuntur elementis, abutuntur cœlo: & quod miserabilius est, etiam Dei misericordiâ abutuntur. Ergo quia fœminæ & viri illiterati abuti solent Bibliis sacris ad linguas vulgares translatis, illa meritò

Cur Biblia sacra interdicantur?

Rebus omnibus homines abutūtur.

meritò ſunt interdicta: nimirùm, non quia mala, ſed quia mali illis abuti ſolent. Ergo, ſi doceat experientia, aliquam opinionem (aut probabilem, aut etiam certam) eſſe pernitioſam Reipublicæ, eâdem obligatione, quâ Superiores tenentur Rempublicam tueri, tenētur illā opinionē interdicere & inhibere.

Non ſemper ſunt contradictoria, quæ videntur.

TERTIÒ. *Hæ duæ propoſitiones, videlicet*, Opinio probalis condemnari poteſt, *&* Opinio probabilis condemnari non poteſt, *licèt videantur contradictoria, vera ſunt.*

Porrò prima vera eſt: nam quotidiè videmus Opiniones verè probabiles condemnari: Ergo primam ita admitto, ut exiſtimem opiniones verè probabiles ſpeculativè, condemnari practicè; nam poſſibile eſt opinionem probabilem ſpeculativè habere practicè aliquam circumſtantiam adnexam, quæ probabiliter excuſari non poſſit. Hoc ſenſu aliqui dicunt hanc propoſitionem, *In re venereâ datur materiæ parvitas*, eſſe ſpeculativè probabilem, at practicè improbabilem, & in multis Communitatibus condemnatam, & ab Eccleſiâ aliquando non obſtante ſuâ ſpeculativâ probabilitate, practicè condemnandam aut minimùm interdicendam: nam ſpeculativè præſcindit à circumſtantiâ periculi, à quâ practicè præſcindere nequit: unde à parte rei ratione periculi neganda eſt materiæ parvitas.

Probabilitas duplex: practica, & ſpeculativa.

An in re venereâ detur materia parva?

XLVI. Porrò ſecunda etiam eſt vera: cùm quia opinio probabilis practicè condemnari non ſolet. Quid, ſi condemnaretur? Darent Deo rationem Condemnantes: cæterùm, ſemel condemnata, non eſſet ampliùs probabilis practicè, quoùſque cenſura tolleretur. Hanc veritatem exemplo clariſſimo expono. Aio duplicem eſſe honeſtatem, alteram ſpeculativam, alteram practicam (illa ad forum internum pertinet, hæc ad externū) Eſt honeſtus quoad ſe & in foro interno, qui nullum crimen commiſit: & qui commiſit, occultè tamen, eſt inhoneſtus in foro interiori, at in exteriori & quoad nos eſt honeſtus. Siquis autem per ſententiam Judicis declaratur infamis, & ſit innocens, ſpeculativè, hoc eſt, quoad ſe, quoad Deum, permanebit honeſtus: at practicè, hoc eſt, quoad homines, erit infamis, quoùſque ſententia illa prior ſecundâ ſentētiâ damnetur. Idem dicito de Propoſitionum probabilitate: quæ enim damnantur juſtè

Honeſtas duplex: ſpeculativa, & practica.

Nota hoc.

justè aut injustè, dicuntur & verè damnatæ, & hâc ignominiâ carere non poterunt, quoùsque condemnatio tollatur.

An Abbates possint in suis Monasteriis libros probabilem doctrinam continentes interdicere? an etiam, si velint, damnare?

XLVII. Cardinales & Abbates collati.

PUtaret aliquis, tantam quoad hoc esse Abbatis authoritatē intra limites sui monasterii, quāta DD. Cardinalium est in totâ Ecclesiâ: sed fallitur: nam Eminentissimi Domini habent authoritatem delegatam à Summo Pontifice, quæ summa est, & cum Abbatiali comparari non debet. Interim, quia Abbatialis, quà Regularis, & quà Oeconomica, magna est, oportebit expendere, quid possint aut non possint Abbates.

Possunt libri considerari & interdici ut res.

Assertio I. *Potest Prælatus libros aliquos interdicere ut res.* Patet, quia voto paupertatis obstringitur Monachus nullam rem habere sine licentiâ Abbatis, qui sicut potest interdicere tertiam tunicam (unicam concedit Apostolis suis Christus: duas Prælati suis Monachis: & tertia videtur superflua) poterit interdicere tertium librum, si iudicet primum aut secundum sufficere. Sanè quando interdictio respicit librum quà rem, non afficit ipsam doctrinam, sed valorem solummodò.

Libri superflui.

Scio multos hodie Religiosos habere libros ut res, & bibliothecas ut thesauros: multi enim habent libros benè compactos & curiosè dispositos, quos nunquam legunt. At experientia docet rarò hoc modo libros interdici à Prælatis. Fateor tamen hoc modo interdici aliquando pretiosam compacturam; videtur enim tolerabile, ut Religiosus pauper habeat multos, & qui magno pretio sint comparati, libros: at verò, quod illos, auro, argento, serico, aut coreo peregrino compingat, paupertas sincera non tolerat.

Compactura superba & indecēs.

Assertio II. *Potest Prælatus interdicere libros bonos, & ab Authoribus Classicis scriptos, si videat non esse ad captum suorum Religiosorum, & posse relaxare aut turbare suam communitatem: at eorundem librorum probabilem & bonam doctrinam condemnare non poterit.*

Possunt libri boni interdici.

His positis ut aliquo exemplo particulari doctrinam præmissam confirmem, propria enarro. Prodiit meus Commentarius in Regulam D. Benedicti, & quidam pius, indoctus tamen Abbas, ut Syntheses legit, excan-

 duit,

duit, & illas improbabiles esse, verbo & calamo fuit protestatus. Moneor à D. Francisco Penneman, & illi rescripsi literas, quas dedi in Theologiæ Fundamentalis pag. 88. asserens librum ab eo interdici posse, condemnari non posse: opinio enim, quam multi suâ subscriptione honorant, aut certa aut probabilis est: & Commẽtarius Syntheses Illustrium Virorum multas habet.

An Episcopi libros & propositiones possint interdicere, censurare, damnare?

XLVIII. QUidam Episcopus in Belgio interdixit Antonini Dianæ Resolutiones, jussitque ut nemo venderet, emeret, legeret aut haberet: & Bibliopolæ soliciti interrogabant, *possit-ne liber ille interdici?*

Respondi illis, & responsionem meam in Basi Theologiæ Regularis edidi. Non habeo penes me librum illum, & ideò sententiam reponam, si non verba.

Aliud est interdicere librum, & aliud Inter interdicere libros & illos condemnare, ut sæpè distinxi, distinguo; libri enim sunt merces, sunt nocivi, sunt mali. Interdicuntur libri optimi ut merces, ut nostris Typographis, Bibliopolis consulatur. Cùm Plantino ut imprimat Ecclesiasticos libros conceditur, interdicuntur omnes apud quemcumque alium impressi, non quia mali, sed quia impressi cum iniuriâ Plantini, cuius indemnitati & utilitati publico privilegio consulitur. Interdicuntur etiam libri optimi, ut nocivi, quandò experientiâ constat esse aliquos qui eis abutuntur. Sic videmus Biblia sacra interdici; nec permitti in aliquâ linguâ vulgari; nam docet experientia fœminas & ignorantes quosvis homines arreptâ occasione ex malè intellectis periodis solere contra Deum & Fidem delirare: nec aliâ posse viâ Fidei conservari unitatem, quàm si eiusmodi Libri à manibus imperitorum arceantur. *eiusdem doctrinam condemnare?*

Libri optimi solent & debent aliquando interdici.

Solent ignorantes sanctissimis libris abuti.

Ridebat hanc totam doctrinâ in Belgio quæpiam Princeps, & dicebat non nisi tyrannicè fœminas arceri à Divinâ Scripturâ; quæ est bona, & interdicitur ac si esset mala. Erat in loco puellus, Principis filius; & Titius, qui sic illam discurrentem audivit, evaginat pugionem & puello tradit. Occlamat illa, & Titius pugionem in manibus puelli tutatur. Cur deberet iste angelus, ait, *Nota id benè.*

spo-

spoliati pugione, pulchro, lævi, mundo, acuto, & omnibus nominibus bono? an non quia uti non scit, & abuti illo poterit; & eo abutendo se ferire aut occidere? Ita est Princeps excellentissima: Sacræ Literæ Ecclesiæ sunt arma, fortia, potentia, & efficacia; quibus si malè utatur aliquis, sibi mortem consciscet; non ergo concedendæ personis, quæ abusuræ credantur.

Solent libri interdici ut merces.

Porrò si Dianæ Libros Episcopus ille interdixit ut merces, viderint consules & Reipublicæ Patres, ad quem pertineat interdicere merces, nam in Belgio (de hoc enim agebatur) merciũ interdictio aut admissio, ad Regem, & non ad Episcopos pertinet: si eosdem interdixit, ut nocivos per accidens, nullam iniuriam Dianæ intulit, & suo fuit usus iure: nemo enim domi suæ tenetur tolerare Librum, etiam bonum, qui suis sit perniciosus per accidens. Quod si illos condemnavit, hîc iam haberent docti aliquid, quod patienter tolerare non possent, nõ enim damnari possunt libri, qui à doctis leguntur, approbantur, laudantur.

Sed ut dãnentur debent continere malã doctrinã.

De Librorum Politicorum inhibitione. An omnes & singuli sint interdicti?

XLIX. Decipitur frequenter vulgus cùm audit librum interdici, cùm audit à lictore comburi; & existimat incurrere Authores infamiam.

Sanè de libris, sicut de ipsis hominibus est discurrendum. Quando Petrum cruci suffixum audio, quæro cur, ubi, & à quibus fuerit condemnatus: sicut enim aliquibus æternæ est ignominiæ, sic aliis etiam æternæ famæ fuit patibulum. Omitto Martyres, qui à Tyrannis propter fidem damnati, eorum enim gloria & opinio supra honores omnes Politicos à Domino posita est: venio ad nostra. Didacus Quiroga, Patrum Capucinorum decus, gloriabatur interdum, quòd adolescens, dum esset Vexillifer, ab Henrico IV. Galliæ Rege fuisset damnatus laqueo, quòd secreta, sibi nomine Regis nostri commissa, non proderet. Mansit constans, ductus ad patibulum fuit, imò gradus nonnullos scandit: sed tandem ob impressionem, quam nostri fecerunt, fuit subductus, & tandem à manibus hostium libera-

An patibulum inferat ignominiam?

An possit aliquis mori potiùs, quàm secretum detegere?

tus. Erat Bruxellis adolescens nobilis Lusitanus, cuius Ulyssiponæ pater, quod esset à Rege Catholico, in patibulo publico periit, & statim filius fuit S. Iacobi Cruce, opulentâ commendâ, & cohorte peditum à nostro Monarchâ honoratus. Ergo patibulum, ignis, & carnificis manus infamiam inferunt reo, qui ob scelera à suis condemnatur: at eadem gloriam adquirunt homini, qui ob fidelitatem erga patriam, ab hostibus fuerit damnatus. Idem igitur de libris dicito: clarêt enim per flammas ab hostibus succensas libri scripti ad honorem & defensionem patriæ: Et quidem vix est hodie Politicus, qui nō se exponat huic periculo. Politicam Hispanorum reprobant Galli, Gallorum Hispani; Sæcularium Ecclesiastici, & Ecclesiasticorū Sæculares. Michaël Rabardeus visus fuit nimiùm augere authoritatem sæcularem, nimiùm deprimere Ecclesiasticam; & ideò statim interdictus. Et Antoninus Diana, qui omnia Ecclesiasticis concedit, displicuit omnibus Sæcularibus, Hispanis, Germanis, Gallis, Belgis, &c. & ita Venetis, ut vix illum voluerint tolerare: tandem admiserunt, gravissimâ & acerrimâ censurâ præfixâ, *ne putes Lector, per concessionem imprimendi illius operis, in eo contenta aut pro veris admitti, aut ad praxin approbari, sed tantummodò rationibus impressorum seu mercaturæ cōsuli.* [Interim hæc eadem censura multa habet ad laudem mei Dianæ. Vide Hierarchiam meam Ecclesiasticam in Procemio num. 16.] Author ille, qui Reges in temporalibus subesse Pontifici scripsit anno 1626. asserente Gramondo, à Sorbonâ, à Clero Gallicano, à Sæculari statu; imò licèt Iesuita à Iesuitis in Galliâ habitantibus reprobatus est: eiusque liber iussus comburi à publico Iustitiæ Ministro: & tamen idem liber etiam hodiè Romæ commendatur: Concludēdum est ergo, in materiâ Politicâ tot esse sententias, quot Rerumpubl. capita; nec damnandum P. Cotonem, qui adhæsit communi Gallorum sententiæ, & rogatus, *Quid si essetis Romæ?* Respondit, *Mutaretur cum aurâ animus, sentiremus ut Romæ.* Vide Gramond. ad annum 1626. pag. 654. Ergo in materiâ Politicâ, hæc poterit poni Scriptoribus Regula: videlicet, *Modò nec Fidem, nec in Catholicam toto orbe receptam morum doctrinam, impingat, in materiâ Politicâ, quidquid exteri Ecclesiastici aut Sæculares, sentiant dicant-ve, unusquisque tenetur defendere iura suæ Patriæ.* Hanc Regulam hoc exemplo

Non est ignominiosū Authori, si eius opera interdicantur, est, si damnētur.

Michaëlis Rabardei Politica Romæ, Dianæ Politica Venetiis.

Aliorū Parisiis condemnātur.

An sentiēdum cum multis?

Unusquisque tenetur stare à Patriâ.

plo dilucido. Anno 1635. eramus in navi Antverpiensi Reverendissimus Dominus Opovius Ducis-sylvius Episcopus, multi nobiles, & inter ipsos Comes quidam ex Galliâ profugus, qui multa suprà fidem, fortè & suprà veritatem, se egisse pro Catholico Rege gloriabatur. Habebat penes se decem mille florenos, quos in præmium à Rege susceperat: & hoc animatus favore, maiora adhuc pollicebatur. Cũ peroravisset omnia Gallus, exceptus fuit à fidelissimo Episcopo (fidelissimo inquam, quia sæpè exposuerat vitam suam propter Regem Catholicum, & semel apud Hollandos captus & condemnatus laqueo, liberatus fuerat non sine suspicione miraculi:) hoc responso, *Quàm omnia ista essent gloriosa, si facta non essent à Gallo!* Erubuit Comes, risimus omnes: quicunque enim Gallus favet aut servit Regi Hispano contra suam Patriam, est infamis. Et Ego sicut de gladio, sic etiã de calamo Philosophor. Multa pro meis Principibus scripsi; & illa omnia ut Hispanus, qui essem indignus tam nobilis nationis gloriâ, si calamum moverem contra Patriam. Jam nulla ampliùs in hâc intricatâ materiâ me scripturum decrevi, quia sicut non omnes militare tenentur, sic nec omnes scribere; præcipuè si dentur rationes Politicæ, quæ tollant calamum: nam experientiâ didici aliquas opiniones meas displicuisse Romanis & Hispanis; Illis, quod putent me augere authoritatem Regiam plus quàm debeam; istis, quod putent me eandem intrà verum deprimere, debuisseq; scripsisse generosiùs & altiùs.

Gallus trãsfuga ab Episcopo Sylva-Ducis ridetur.

Author à Politicis se subtrahit.

Ei⁹ doctrina aq; Romanis displicet ac Hispanis.

De definitionibus Scholarum & Academiarum.

L.

QUæcumque opinio, quæ unius integræ Scholæ (puta Thomisticæ, Scotisticæ, Iesuiticæ, &c.) est, est probabilis. Quæcumque à Facultate Theologicâ claræ alicuius Vniversitatis (Salmanticensis, Lovaniensis, Duacenæ, Pragensis, Viennensis, &c.) defenditur, aut probabilis dicitur, est probabilis. Et quia Vniversitas Viennensis sententiam, quæ asserit *moribundum Catholicum, sensibus destitutum, qui nullum signum doloris dedit, posse saltem sub conditione absolvi*, iudicavit probabilem, hanc eamdem opinionem probabilem esse pronuncio.

De authoritate Doctorum & doctorum.

LI. NOn omnes Doctores sunt docti; & ideò potiùs à viris doctis, quàm à Doctoribus, si isti docti non sunt, volumus probabilitatem extrinsecam & authẽticam sententiarum pendere: multum enim viri docti, etsi non sint Doctores profuerunt & prosunt Ecclesiæ: & multum nocuerunt Doctores, qui non docti.

De Iuniorum, etiamnùm viventium opinionibus.

LII. *Viri doctiores sint, veteres, an iuniores?* NOn contemno veteres, sed Iuniores commendo, qui illorum labore fruuntur, & multa possunt, quæ non potuerunt illi, quibus prædecessores sui nullos libros eruditos & accuratos reliquerunt. Puto omnia esse hodie meliùs examinata, & hanc ob rem in omni materiâ & præcipuè in morali libentiùs Iuniores, quàm Antiquiores lego & sequor.

De Dæmonis authoritate.

SI semper mentiretur, neminem decipere posset: at, quia veris falsa suffulcit, hæret audiẽtis animus, & nescit quid decredat aut credat. Et hanc ob rem, dùm ille loquitur, duas probabilitates distinguerem, authenticam & rationalem: aio igitur eius verba, si & dicta ab aliis, tantum pondus habitura, quantum aliorum authoritas dederit: at à solo Dæmone dicta, nullam habitura extrinsecam probabilitatem. Rationes, si quibus ille utatur, erunt, quales essent, si ab alio essent: illis enim, si aliàs sint probabiles, non derogat, quod à Dæmone fuerint allatæ. LIII. *An Diabolus semper mẽtiatur?*

De sensibilium experimentorum certitudine.

HOrologiorum certitudo nulla aut parva: quæ enim malè sunt gubernata, à nullo tanquam regulæ morum ponentur: & quæ benè gubernata, non definiunt articulos infallibilis Fidei, sed terminos horarum probabiles. Ubi multa sunt horologia benè gubernata, distantia inter primum & ultimum LIV. *An horologia sint velut opiniones probabiles?*

mum erit tempus reducibile ad alterutram horam (priorem, & posteriorem) probabiliter.

Hora distinguuntur ictu primo.

Cùm agitur de veracitate horologiorum standum experientiæ est. Siquis haberet horologium, quod quoties cum cœlo conferretur, exactè semper correspondere, eidem stare teneretur, & deberet distinguere horas non ultimo ictu, sed primo. Si autem haberet horologium, quod intra horam cœlo correspondere, (hoc est, quod aliquando per quadrantem unicũ, aliquando per duos, aut etiam tres; & aliquando etiam per integram horam à cœlo & veritate deviaret) esset temerarius & imprudens, si illo uteretur tanquam Indice horarum exacto.

Quantum fidendum sit horologiis turrium?

Cùm igitur turrium horologia, nec sint tam perfecta & exacta quàm primum, nec tam exorbitantia quàm secundum, merebuntur intermediam fidem; minorem primo, & maiorem secundo. Quantam quæso? Quantam docuerit experientia. Me docent meæ observationibus annorum plurium habitæ: me docent Mathematici multi consulti, probabilitatem istam ad 15. hinc, & 15. inde minuta se extendere: si te doceat laxiores aut contractiores terminos, sta tuæ: & cõtrahe aut laxa prout tua te experientia docuerit. [NOTA. Hæc recognosco in Civitate Palatinatûs superioris, quæ *Sylva Monachorum* dicitur: & tria horologia totâ die se sequebantur hoc modo: inter primum & secundum erat dimidium minuti, & inter hoc & tertium quatuor min. interim omnia præcurrebant verum tempus 30. min. vel pluribus. Anne, qui eiusmodi exorbitantias experitur, neque ante primum, nec post ultimum horas poterit invenire probabiles?]

Tempus Mathematicum & Morale.

LV. Tempus mathematicum non est exactè designabile.

QUi res practicas volunt ad Mathematicum tempus reducere, possunt confundi breviter, nimirùm si iubeantur significare momentum, quo est hora talis aut talis v. gr. & tempore nocturno præcipuè. Horologia rotarum exorbitant: Schiaterica supponunt altitudinem poli, muri declinationem, & delineationem, de quibus Astronomi doctissimi disputant. Si benè delineata sint, adhuc ipse Sol parallaxin & refractionem patiens umbras alterat. Ergo si impossibile est, cognoscere tempora Mathematica, necessarium est,

Horologiorum imperfectio.

ut

ut illis practicè non regamur. Ergo tempora à leg bus (Ecclesiasticis & Sæcularibus) Moralia sunt. Et illa duabus assertis gubernantur PRIMUM: *Tempus sensibile illud est, cuius error sensu non potest vulgò percipi*: & hoc videntur horologia determinare benè recta. SECUNDUM: *Tempus Morale est, quod parum deviat à vero: nimirum ita parùm sensibiliter, ut videatur non distare moraliter.* Iuxta illud, *In Moralibus parum pro nihilo reputatur.* Sed quantum erit illud tempus, quod alterius respectu dicatur nihil esse moraliter? Hoc sæpè à ratione, & sæpè ab apprehensione pendet: & ideò Authores veniunt consulendi. Vide num. 206.

Tempus sensibile.

Tempus morale.

De Honore.

LVI. Honos etiā apud vulgus & imperitos pretium habet.

HOnos habetur apud nobiles & ignobiles, doctos & imperitos, bonos & improbos: &, qui tibi iniustè apud ignobiles imperitos, aut improbos honorem detraxerit, peccavit, & tenetur ad restitutionem. Et qui habet ius recuperandi honorem, quo iniustè fuit privatus apud bonos & doctos, habebit ius recuperandi etiam illum, si iniustè fuit spoliatus, apud malos imperitosque?

debet restitui, si detractus.

An, qui tenetur in aliquâ Ecclesiâ celebrare cum solâ præsentiâ, possit illam missam alii applicare & aliud stipendium recipere?

POsse stando rei naturæ certum est: at etiam certum est, multos verâ hâc doctrinâ abusos posse Missarum circumstantias tam avarè distinguere, ut dùm pro singulis postulant speciale stipendium, nundinas celebrare videantur. Ergo, si Eminentissimi Domini Cardinales ob inconvenientia, usum opinionis affirmativæ interdixerunt, quod aliqui dicunt, & ego non scio, meritò interdixerunt: bonæ enim opiniones possunt & solent (imò etiam aliquando debent) interdici, si illis Catholici abutantur.

LVII. Doctrinâ bonâ abutuntur nō nulli.

An pecunia præsens valeat plus, quàm futura.

VAlere plus est certum: vel qui dubitet vadat ad forum cùm pecuniâ futurâ, & experietur quàm benè inter mercatores se expediet.

LVIII. Resolutio.

Sed unde id habet? Non à suo ingenio: sed à damno emergente, & à lucro cessante: nam futura

Resolutionis ratio.

ta est in periculo maiori quàm præsens, & minùs me iuvat quàm præsens. Ergo posset, non obstante experientiâ defendi, præsentem pecuniam præscindendo à circumstantiis lucri & damni non valere plus quam futura.

Nota hoc.

De Opinionum probabilitate.

LIX. Duplex probabilitas.

PRobabilitas est duplex: rationalis, & authentica. Illa habere locum poterit apud doctos: hæc apud omnes. Videntur iam cõvenisse in hoc omnes, ut quatuor Authores graves sufficiant ad probabilitatem. Licet sequi opinionem minùs probabilem. Interdum, minùs probabilis opinio tutior est. Consulendum est omnibus, ut mente sequantur faciliores & securiores opiniones, & nihilominùs tamen iuxta strictiores & severiores operentur. Licet omnia probabilia sunt licita; potest homo præcepto, voto, aut iuramento se obligare ad alteram probabilitatis partem.

Probabilia omnia licent.

Morale Monitum.

Præcepto aut voto limitatur libertas.

Licet, ubi non agitur de damno tertii, mutare quemcumque opinionem probabilẽ. Et quid, quæso, si agatur de damno tertii? Non licet, si expresse aut implicitè contractu aliquo te obligasti ad non mutandum opinionẽ. An aliquando ad retinendam opinionem, quam quis liberè elegerat, tenebitur aliquo præcepto? Respondeo hanc propositionem, *Ecclesia, qua Officium Divinum, Ieiunium, &c. compræcipit nequis mutet sententiam probabilem, eo nimirùm casu, quo ex tali mutatione hæc præcepta posse non observari sequeretur*, habere contra se rationem gravissimam, & pro se gravissimam authoritatem: Ratio est; quia veteres Pontifices non præceperunt, quæ non prævide runt; at hæ subtilitates sunt ab annis pauculis motæ, non ergo à mille aut pluribus legibus cautæ. Authoritas est Eminentissimi D. Cardinalis Lugonis: qui tamen non tam videtur explicare, quid Pontifices iusserunt, quàm quid iussissent, si fuissent isti casus propositi. Interim illa ratio solutione non caret. Esto enim hoc vel illud effugium, quo Iuniores utuntur ut legi nõ satisfaciant, Veteres Pontifices non prævideriant, at censendi sunt voluisse omninò omnes obligare, & claudere omnes aditus per quos posset aliquis obligationem effugere. Ergo censendi sunt voluisse omnia ponere media necessaria ut lex teneret. Ergo si necessaria erat secunda lex,

Veteres Põtifices non præviderunt Iuniorum Theologorũ subtilitates.

In lege expressâ illa omnia cõpræcipiuntur, quæ sunt necessaria ad observantiam illius legis.

quæ compræciperet, ne quis mutaret opinionem probabilem, eo videlicet casu, quo ex tali mutatione non satisfieri præcepto sequeretur, censendi sunt & hanc legem implicitè tulisse. Stat igitur Opinio Eminentissimi D. Lugonis: & interim suadendum erit omnibus (quidquid de speculatione sit) ne discedant ab illâ practicè.

De periculo.

LX. *An se possit aliquis exponere peccandi periculo?* AUthiores variant, cùm quæritur, Sit-ne peccatū se exponere probabili peccandi periculo: quia sæpè nomen *periculi* aliter & aliter intelligunt; sæpè enim opiniones minùs probabiles teneri posse non admittunt: sæpè consequentiam non servant. *Aio posse tutâ conscientiâ hominem inire periculosam viam, quamdiù consideratis omnibus circumstantiis prudenter (hoc est, certò, vel probabiliter) possit dicere, Non peccabo.* Si hîc non potest homo sequi opinionem probabilem, falsum est dicere, semper sequi illum posse opinionem probabilem. *An opinio probabilis semper sit licita?*

Eodem modo de moribundo philosophandum est; ille enim non tenetur plura media adhibere, qui omnibus consideratis ait prudenter (nempè, certò, vel probabiliter) *satisfeci, & nihil teneor amplius facere.* *De æternæ damnationis periculo.*



CAPUT

CAPUT II.

PRACTICUM.

GENERALIA FUNDAMENTA complectens.

LXI.



A; quæ diximus, magnâ meditatione indiguerunt, nunc veniamus ad praxim, & de Superiorum authoritate & jurisdictione disputemus.

De authoritate Divinâ.

An Deus possit dispensare in Decalogo?

DEus est rerum Dominus physicus & moralis. Si quæras, An possit dispensare in Decalogo? Respondeo placere opinionem Scoti, quam ille didicit à D. Bernardo, & suos discipulos docuit: quam semper defendi & fusissimè exposui & probavi, quam multi non benè capiunt oppositionem moralem cũ naturali confundentes.

De authoritate humanâ.

OBedientia laudatur, cùm cæca: & pietas erga Parentes & Superiores postulat, ne de illorum legibus disputemus. At quia interdum Superiores sunt homines, & solent limites suæ potestatis excedere; & multi etiam privati homines solent leges & imperia mentiri, ut nos cogant suæ voluntati privatæ satisfacere: interrogas, Quo debeas te gerere modo, cùm Superiorum præcepta & mandata intimantur. LXII. *An liceat de Superiorum authoritate disputare?*

Primò debes videre, An sint vera? an debito modo intimata? An præceptiva, an consultiva? An moralia, an pœnalia? *Consideranda in legibus.*

In Hierarchiâ Ecclesiasticâ sunt gradus: & quia in Galliâ præcipuè fervet quæstio, quæ Pontificem Summum & Conci-

lium Generale comparat: aio Summum Pontificem esse supra Concilium. Ostenditur: quia coacto Concilio, unde constabit illud esse legitimum & generale? Hoc, si illud definiat, circulus committetur: quæcumque enim privata Communitas, quæ errare potest, se esse Concilium Generale definire potest. Ergo supra Concilium est in Ecclesiâ alia quædam regula, quæ judicat de ipsismet Conciliis: & hæc est Pontifex; qui etiam extra Concilium potest condere Articulos Fidei, & totam Ecclesiam obligare.

An Pontifex sit supra Concilium?

Quantam extra concilium habeat authoritatẽ?

Eminentissimorum DD. Cardinalium declarationes nõ sunt articuli Fidei, nec sunt hæretici qui illas reiiciunt. At ipsæ sunt leges & regulæ loquendi, docendi, & scribendi practicæ, quas sequi tenemur eo modo quo nobis impositæ: nempè sub pœnâ aut culpâ, prout illæ sint pœnales aut morales. Patet: quia Cardinalium authoritas est à Pontifice concessa, & iuxta eorumdem Declarationes tota hodie Ecclesia gubernatur de facto.

Quantam DD. Cardinales.



CAPUT

CAPUT III.

PRACTICUM.

FUNDAMENTA SPECIALIA complectens.

LXIII.



IN Legibus considerari possunt duo, materia & forma. Modò earundem formam: & materiam sequenti Capite considerabimus.

De libris prohibitis.

Cur libri interdicantur?

PRaxis testatur libros ob duos simul fines interdici, nimirùm, ut caveatur periculum, & etiam ut authores puniantur. Primum finem admittunt universi. Secundum probant viri docti & illustres, qui ut legant Hæreticorum libros facultatem postulant ab Ordinario; aut ab illo, qui potest eiusmodi facultatem concedere. Et ego ipse vidi multos magnos Concionatores, qui eiusmodi licentiam peterent: & hodie in Vicariatu Pragensi multis Viris doctissimis eiusmodi facultatem concedo. Ergo siquidem Sapientissimi Viri, qui non timent ullum in ejusmodi lectione periculum, adhuc postulant hanc licentiam, certum est eos putare eamdem sibi necessariam: Ergo, tametsi sciunt cessante fine adæquato legis cessare ipsammet legem, adhuc putant cessante perversionis periculo legis huius finem adæquatum non cessare.

An possint Viri docti illos legere sine licentiâ?

De carnibus comedendis die Veneris.

LXIV. *An abstinentia obliget graviter?*

ABstinentia à carnibus, indicta ab Ecclesiâ, obligat sub mortali. Nec iuvat ad finem recurrere: cùm, quia non est fa-

facile indagare, quos fines sibi Ecclesia præscripserit: tùm, quia finis observandi tempus & colendi Deum hoc modo, nunquam cessat in communi, nec in particulari. Nulla ratio adduci poterit contra nostram & communem doctrinam, quæ non habeat solutionem claram & evidentem: nulla, quæ non æquè militet contra abstinentias Hebræorum in Testamento veteri; quas obligasse graviter multis Sacræ Scripturæ testimoniis suadetur.

An in testamento veteri abstinentia graviter obligaverit?

De legum acceptatione.

LXV. *An obligêt ante acceptationem & cur?*

Leges hodie non obligant, nisi acceptentur. Sed unde id habent? Alii ad ingenium earumdem: (feruntur enim ad ædificationem, & quæ ponerentur invitis, perturbarent) alii ad Superiorum clementiam & benignitatem recurrunt: (putant enim, Superiores non velle subditos invitos suis præceptis obstringere.) alii inter leges Civiles & Ecclesiasticas distinguunt: & meritò: nam Leges Divinæ non pendent ab hominum acceptatione, & Pontifici dedit iurisdictionem Christus, Regibus populus.

Unde Pontifices, & unde Reges habeant authoritatem?

Si Lex acceptata sit à maiori communitatis parte, censetur ab omnibus acceptata, & debet observari à singulis: & qui privatim & secluso scandalo illam violaverit, peccat: &, si materia sit magna, mortaliter. Diana Caramuelem citat pro sententiâ contrariâ: det quæso verba, quia hanc frequentissimè Caramuel explicat & tuetur; & nunquam somniavit contrariam.

An debeat acceptari ab omnibus?

Legum obligatio desinit, vel quia Superior desinit velle obligare, vel quod Communitas desinit velle obedire. Probatur & explicatur. Ut creatura duret, non sufficit, ut creetur à Deo: debet enim etiam conservari, nam conservatio est quædam creatio perseverans. Ergo similiter, ut lex duret, non sufficit, ut feratur aut condatur à Principe; sed est necessarium, ut ab eodem conservetur & manuteneatur: & eo instanti, quo Superior non vult illam manutenere, desinit. Et, si acceptatio est necessaria, sicut Superior dicitur non velle aut non posse (sunt enim quoad hoc, ut iam vidimus, diversæ & adversæ sententiæ) hodie obligare invitos, eódem modo dicetur nos velle vel non posse

Quando desinant leges?

Creationis & conservationis distinctio.

cras.

CAPUT

CAPUT IV.

PRACTICUM: EDISSERENS FUNDAmenta specialia, quæ Leges materialiter sumptas concernunt.



LXVI. Ateria legum Actus Humani sunt, nam licet personæ, actiones & res legib9 subesse dicantur, personæ & res subsunt propter actiones. At actus humani dividi solent in tres classes: alii enim mere interni, alii mere externi, mixti alii. Mere internos subesse Decalogo manifestum est: eosdem non subesse legibus Civilibus probabiliter & plausibiliter defendi solet: at eosdem non subesse legibus Ecclesiasticis est probabile propter authoritatem multorum. At ratione, quam dedi num. 475. ad 479. etiam nunc stringor, & nondum me scio expedire aliter, quam duplicem authoritatem & iurisdictionem in Ecclesiâ adsignando: directivam videlicet & coercitivam: asserendoque illam esse internam, hanc externam: utrâque leges sanciri, at priori leges, de quarum observantiâ & transgressione iudicium relinquitur Deo: & posteriori leges de quarum violatione & observantiâ etiam homines iudicabunt. Huc me cogit illa à nobis obiecta ratio: qui satisfaciat illi, & tamen manuteneat actus purè internos non posse à Pontifice præcipi, erit mihi magnus Apollo. Tu rem benè perpende, & me iuva.

Actus humanus triplex.

Authoritas Ecclesiæ duplex.

De violatione modali.

LXVII. IN actu præcepto considerari potest substantia & modus actûs.

Aliàs violatur leges

quoad substantiam: aliàs quoad modum

ctûs. Et quidem communis & vera sententia asserit, esse peccatum mortale violare legem in materiâ gravi quoad substantiam; & esse tantummodò veniale, eamdem violare quoad modum.

Certa sunt hæc: at incertũ, an benè in singulis actibus assignetur, quid substantiale sit, & quid modale: cùm enim quæritur, An liceat pro officio feriali legere de Sancto: alii hanc circumstantiam esse modum lectionis præceptæ, adeòque eiusmodi mutationem condemnant peccati venialis: & alii, quia eamdem circumstantiam intrinsecam & substantialem esse dicunt, illam accusant de mortali.

An mutare officium sine causâ sit mortale?

De comedente carnes in Hispaniâ die Sabbati.

LXVIII. *Hispanorũ recepta cõsuetudo.*

Comedunt Hispani in suâ patriâ aliquas animalium partes, & alias non: dicuntque Madriti se posse comedere vituli caput, collum, brachiolum, caudam, pedes, intestina: hæc enim omnia vocant animalis spolia: & aiunt cæteras carnes non posse edi sub peccato mortali. An-ne caro colli differt à carne dorsi specie vel substantiâ? an tantùm accidenti vel modo? &, si modo, non peccabit mortaliter, qui in Hispaniâ die Sabbati comederit carnes.

An eiusdẽ animalis partes distinguãtur specie?

Sic argumentantur nonnulli. Et hoc modo respondeo. Collum & dorsum aio posse considerari Physicè & moraliter. Considerata physicè fortè distinguuntur specie, fortè non: nam vel dantur formæ partiales, quæ Scoticæ formæ corporeitatis correspondeant, & habeant partes heterogeneas, quod multi plausibiliter dicunt: vel carnis partes sunt omnes homogeneæ, quod multi probabiliter asserunt, accidentaliter vel modaliter carnem à carne distinguentes. At verò eædẽ carnium partes apud Hispanos consideratæ moraliter, distinguuntur substantiâ: nam ob summum defectum piscium concedit aut permittit Ecclesia caput, collum &c. vice piscium: ergo hæ partes virtualiter loquendo pisces sunt, nam positâ concessione aut permissione, licèt realiter sint carnes, prudentum iudicio & æstimatione ita se habent ac si essent pisces: quod dorsum, armus, & cæteræ partes interdictæ non habent.

Carnium consideratio physica.

consideratio moralis

An caro possit esse piscis moraliter.

Firmatur, aut etiam demonstratur hæc veritas. Forma enim cadaverina multorum Doctorũ sententiâ est eiusdem speciei in

omni-

omnibus omninò animantibus. Ergo ſtando huic ſententiæ, quæ probabilis eſt, animalium & piſcium carnes mortuæ (non enim comedimus vivas) ſunt eiuſdem ſpeciei ſubſtantialis: & tamen nemo dixerit ob hanc rationem licere comedere carnes die veneris: carnium enim & piſcium moraliter & virtualiter loquendo (quidquid de conſideratione ſit Phyſicâ) diſtinguuntur ſpecie ſubſtantiali.

Doctrinam hanc fortiùs & robuſtiùs confirmo. Aliquorum animalium aut etiam piſcium carnes (ſues, anguillæ, &c.) interdicebantur olim in teſtamento veteri ſub peccato mortali: erat igitur eſſentialis differentia inter ipſas, non Phyſica: ergo moralis aut virtualis.

Corollarium. *Ergo multa diſtinguuntur modaliter aut accidentaliter in Phyſicâ, quæ in Ethicâ diſtingui debent ſubſtantialiter: Ergo multa ſimiliter diſtinguentur in Phyſicâ eſſentialiter & ſubſtantialiter, quæ eiuſdem ſint ſpeciei moraliter conſiderata?* Prior Corollarii pars patet ex dictis: poſterior, quia qui dicunt aurum argentumque diſtingui ſpecie, non tamen dicunt furtum auri à furto argenti ſpecie morali differre.

De legum qualitate.

Puto non poſſe hominem in materiâ levi ſubditos ſuos obligare ad peccatum mortale. An in gravi ad veniale? Utrumque probabile eſt. Noto nihilominùs obiter: aliqua videri primo intuitu levia, quæ ſunt gravia: & alia gravia, quæ ſunt levia. Quid enim levius ſcintillâ ignis? Quid levius voculâ *ſic?* & interim, ſi ſcintilla in dolium pyrii ſulphuris cadat, ædificia ſolidiſſima evertet, & homines multos interimet. Et, ſi poſt informationem ſemiplenam rogeris, an Petrum furari videris, & reſpondeas quod ſic: unica contemptibili voculâ, & quæ unicam ſyllabam habet, eum ad patibulum proferes, & laqueo pendes. Ergo res quæ intrinſecè & quoad ſe conſideratæ leves ſunt, conſideratæ extrinſecè & quoad effectus, ſolent interdùm eſſe graves. Sicut & etiam graves res, ſi in ordine ad levem aliquem finem ordinentur, (tunc enim à fine quantitatem ſuſciperent) formaliter loquendo eſſent leves.

LXIX. De materiâ levi & gravi.

Interdum differunt magnitudo vera & apparens.

Quantitas duplex: intrinſeca & extrinſeca.

Quantitas relativa.

De actu completo & incompleto.

LXX. An actus completus & incompletus distinguuntur specie?

NUllus, quem viderim, posuit tanquam Regulam universalem, *Actus inceptus & completus differunt tantùm circumstantiâ, vel modo.* At multi ponunt particulares Assertiones, quæ esse veræ non possunt, nisi hæc universalis admittatur. Ponamus igitur exercitii gratiâ hanc universalem, & quid inde inferatur aut non inferatur videamus. [Nota benè illud verbum *exercitii gratiâ*: volo enim ponere illam propositionem non ut Theologus, sed ut Logicus, ut inde inferendas consequentias explorem.]

De furto.

Quærunt Authores, An qui mille aureos sit furatus, satisfaciat in confessione dicendo, *Rem notabilem furatus sum?* Consequẽtia doctrinæ postulat, ut respondeamus affirmativè. Et quidem hoc ipsum poterit aliquis dicere, & subscribere Navarro, Bonacinæ, Vazquezio, Megalæ, Zanardo, Gipsio, Zerolæ, quos probabiliter loqui asserit Diana *part.1.tract.7.resol.14.* Consultò illud probabiliter expressit Diana, quia posset probabiliter aliquis dicere in mille aureorum furto, reperiri unicum furtum physicè, at politicè & in foro Civili, tot furta, quot materiæ sufficientes ad laqueum secundum leges loci in quo furtum committitur: & in foro Dei, tot actus, & tot furta reperiri moraliter, quot materiæ sufficiẽtes ad peccatum mortale. Ergo stando huic doctrinæ, si aurei sint tanti, ut singuli sufficiant ad mortale, qui mille aureos furatus fuit, unicũ peccatũ commisit, quod virtualiter loquendo mille æquivalet; imò, moraliter loquendo est millecuplex: ergo cùm confitetur & dicit, *Materiam gravem furatus sum.* Non cõfitetur actum incompletum pro completo; sed cõfitetur unum actum completum in ratione mortalis, & omittit 999. actus mortaliter peccaminosos, & licèt primo realiter identificatos, ab eodem virtualiter distinctos: quos etiam exponere deberet.

An unicũ furtũ physicũ sit multiplex politicè & moraliter?

LXXI. De Officii Divini omissione.

Quęrunt etiam Theologi, An qui omisit totum officium divinum, satisfaciat dicendo, *Omisi partem notabilem*: aut etiam, *Omisi materiam sufficientem ad mortale?* Asserit Diana *part.2.tract.12.resol.23.* & citat Squillantem &c. Et ut hanc opinionem teneat, debet duas supponere, *alteram* nimirùm affirmantem, totum unius diei officium cadere sub unicum præceptum: [Qui enim singulas horas singulis pręceptis sub-

An totum cadat sub unum præceptum?

ſubiiciunt,illo modo confitendi contenti eſſe non poſſunt, quoniam in eorum ſententiâ qui totum officium divinum omiſit, violavit octo præcepta, & commiſit octo peccata mortalia, quæ tenetur exponere.] *Alteram*, quam expendamus, nempè dicentem peccatum graviter inceptum & completum differre circumſtantiâ aggravante.

LXXII. *De fornicatione: inceptâ & completâ.*

Progrediuntur ad materiam fornicationis; & ut conſequentiæ filum teneant, ſic aiunt [Peccatum graviter inceptum & completum non differunt ſpecie, ſed circumſtantiâ aggravante: ergo ille, qui cognovit fœminam ſatisfaciet dicendo, *Cum fœminâ peccavi mortaliter?* aut etiam, *Fornicationem incepi?* Ut iudicium ferre de hoc diſcurſu poſſimus, proderit audire Dianam, qui *part.3.tract.4.reſol.* 88. interrogat, An, qui commiſit fornicationem, ſatisfaciat in confeſſione dicendo, *Commiſi grave peccatum in materiâ caſtitatis cum ſolutâ?* & reſpondet. [Hanc quæſtionem reperi apud neminem, niſi noviſſimè apud ſolum Turrianum, qui *libr.de pœn quæſt.* 9 *art.2.diſp.2.ad arg.5.* obſervat, Recentiores aliquot iudicare probabile eiuſmodi modum confitendi: & eorumdem ſententiam ab eodem (Turriano) iudicari probabilem.] Et quid de eorumdem doctrinâ Diana iudicat? [An ſit verè probabilis, ait, aliis iudicãdum relinquo, communis enim uſus fidelium eſt in contrarium.]

LXXIII. *Poſſunt cũ ſolutâ multæ ſpecies peccatorũ committi.*

Hîc ego exiſtimo, eum qui fornicationem commiſit, non explicare ſpeciem ſui peccati, ſi dicat, *Cum fœminâ peccavi mortaliter.* Neque etiam, ſi dicat, *Commiſi grave peccatum in mater â caſtitatis cum ſolutâ.* Quia præter fornicationem etiam aliæ ſunt peccatorum ſpecies contra caſtitatem, quæ poſſunt cum ſolutâ committi. Ergo minimùm deberet dicere. *Commiſi grave peccatum in materiâ fornicationis cum ſolutâ:* at tunc fornicationem cõfiteretur; & faciliùs & breviùs diceret *Sum fornicatus.*

Quid ſi diceret, *Incepi fornicationem cum ſolutâ?* Sic deberet loqui Turrianus; & Diana deberet hunc modum confitendi admittere, vel quæ dixit de omiſſione Divini Officii partiali & furto partiali negare.

Putarem interim nimis generice & malè confiteri, qui poſtquam completam fornicationem commiſit, ſe incompletam commiſiſſe fatetur: malè enim confiteretur, quia tribunalia differunt à Scholâ: & in illis

Interdum nimia nocet ſubtilitas.

præcisiones non habent locum, juxta illud *Nimia subtilitas in iure reprobatur*. Et qui asserit se incompletam fornicationem cōmisisse, moraliter negat se completam commisisse, & in nostro casu mentiretur. Quod in confessione non licet. Confiteretur etiam nimis genericè: quia incompleta fornicatio habita cū animo complendi, ab eâ quæ habetur sine animo complendi; sicut & illa quæ incipitur cum animo decidendi intra vas, & illa quæ incipitur cum animo decidendi extra vas, multum differunt: prior enim ad naturales culpas pertinet, & altera, cùm non ordinetur ad generationem prolis, imò potiùs ad non-generationem ordinetur, ad mollitiem vergit, & ideò in ipsomet usu instrumentorum naturalium contra naturam est. Ergo adhuc stando generali illi doctrinæ quam exercitii gratiâ poni iussimus, in materiâ fornicationis actus incompletus pro completo in confessione poni non posset.

Actus extrinseci sæpè sumunt ab intētione speciem.

LXXIV. Sed uberioris doctrinæ gratiâ, ut meliùs essentiæ moralium formalitatum luceant, licèt id falsum sit, ut iam diximus, ponamus benè & sufficienter confiteri, qui rem compleverit cum fœminâ, & tamen in confessione dicat, *Fornicationem incepi*: an etiam satisfaciet in Sodomiâ & pollutione tactibus alienis procuratâ, qui dicat, *Cum viro peccavi mortaliter*, aut saltem, *Tangendo alium peccavi graviter*, non explicando, an peccatum fuerit completum aut incompletum? Respondeo diminutè confiteri, quia omnia peccata contra naturam licèt in suo genere, sicut pes & caput in homine, soleant dici completa, sunt physicè incompleta; nam seminis effusio naturâ suâ ordinatur ad generationem, & naturâ suâ postulat vas conveniens, quod in peccatis contra naturam non complctur: cùm ergo ipsa omnia specie differant à fornicatione, non possunt confundi cum fornicatione incompletâ. Cùm ergo multæ sint species peccatorum mortalium, quæ possunt committi cum viro, [Nam hæc opinio est in praxi tenenda & defendenda] non satisfaceret, qui genericè diceret, *Cum viro peccavi mortaliter*. Neque, qui diceret, *Tangēs alium peccavi graviter*; quia tactus possunt differre specie.

An omnia contra naturalia peccata sint incompleta?

Tactus possunt differre specie.

LXXV. An saltem in materiâ mollitiei (nimirùm ille, qui se voluntariè polluerit) satisfaciet, qui dicat, *Tangendo me, peccavi mortaliter*. Aut

LXXVI.

Aut fortè, *Habui pollutionis initium.* Aut tandem, quia teste Galeno omnis delectatio morosa est initium mollitiei, *Morosè delectatus sum.*

Quid sit delectatio morosa?

Respondebo, omnem delectationem morosam esse commotionem seminis, & in effusionem tendere: at naturâ suâ vas naturale postulare: ergo rigorosè loquendo non est pollutionis initium: ergo non satisfacit, qui confitetur, dicens: *Morosè delectatus sum.* Præterea: omnis delectatio lasciva naturâ suâ capax est, ut sit secundum naturam; at ipsamet effusio seminis in pollutione est huius denominationis incapax: ergo, si pollutio est intrinsecè contra naturam, & delectatio morosa & quæcumque spirituum seminalium commotio intrinsecè est secundum naturam, & extrinsecè indifferens: [nempè secundum naturam, si ordinetur ad copulam: & contra naturam, si fortè ordinetur ad non copulam:] ergo non benè confitebitur, qui res tam diversas confundat.

An morosa delectatio sit cõtra naturam?

De multis peccatis, quæ committuntur eodem impetu.

LXXVI. *An accidẽtia puro numero distincta in eodem subiecto esse possint?*

POsse unum & idem corpus habere plures vestes etiam distinctas puro numero (accidẽtia sunt ipsæ ad prædicamentum *Habere* pertinentia) certum est. Posse unum & idem fundamentum habere plures terminos distinctos puro numero, etiam est certum. In hoc casu etiam esse habiturum plures relationes distinctas puro numero, est probabilius & communius. Et tandem idem subiectũ posse habere plura accidentia distincta puro numero est in reali Platonicorum Scholâ rejiciendum, & à cæteris Scholis admittitur, & à Thomistis, cùm ex unâ parte nolunt esse Platonici, & ex aliâ volunt Platonicorũ opiniones tueri, summâ cum difficultate propugnatur. Ergo in Physicis facilius est asserere plures formas (intrinsecas, extrinsecas) distinctas puro numero esse posse in eodem subiecto reali, quàm negare.

An plures relationes aut termini?

Ergo transeundo ad moralia, consequentia doctrinæ postulat, ut dicamus plures malitias distinctas puro numero esse posse in eodem actu reali: & hoc, sive malitia dicatur esse accidens intentionale, sive artificiale sicut vestis; sive accidẽs extrinsecum, aut relativum, ut relatio aut relationis terminus: sive intrinsecũ, ut quantitas aut qualitas.

An plures malitiæ puro distinctæ numero in eodẽ subiecto esse possint?

Quale accidens malitia sit?

Hinc patet, stando huic hypothesi, eum, qui non solùm unico impetu, sed unico actu plu-ries.

An unico impetu plura numero distincta

crimina committi possint?

ries blaſphemet, pluries peieret, pluries vulneret, occidat, pluries fornicetur, aut cum pluribus ſimul laſciviat, aut etiam pluries mentiatur, plura peccata committere.

De concurrentiâ præceptorum.

LXXVII. An uno & eodē actu legibus diverſis ſatisfiat?

CErtum eſt te poſſe uno & eodem actu duobus præceptis ſatisfacere: nam, qui die Reſurrectionis audit ſacrum, unâ & eâdem auditione ſatisfacit legi audiendi ſacrum die feſto, & legi illud audiēdi die dominicâ. An, qui illâ die non audiet ſacrum duo peccata committet? Violabit quidem duas leges: &, ſi dicantur diverſæ ſpecie, ceſſabit quæſtio: ſi iubeantur diſtingui puro numero, veniemus ad præcedentem controverſiā; videlicet, An duæ malitiæ diſtinctæ puro numero eſſe poſſint in eodem ſubiecto? Et quia differunt Authores inter ſe, poterim⁹ uno aut altero modo philoſophari.

An unâ & eâdem omiſſione peccetur contra plures leges? An & multa peccata committātur?

De præcepti partibus.

LXXVIII. An eodem poſſit tempore ſatisfieri duab⁹ diſtinctis eiuſdem præcepti partibus?

MUlti dicunt, ſicut duobus ſimul præceptis, ſic & duabus præcepti partibus, ſe poſſe eodem tempore & eâdē actione ſatisfacere; unde inferunt, eum, qui præſens ſit duobus altaribus, & in altero audit miſſam ab initio ad elevationem, & in altero eodem tēpore ab elevatione ad finem, miſſam audîſſe integram, & Eccleſiæ præcepto ſatisfeciſſe. At ex iſtâ doctrinâ ſequeretur eum, qui in octo altaribus, Sacerdotibus ita diſpoſitis, ut ſimul octantes Miſſæ recitent, totam uno temporis minuto auditurū (puta, in uno altari introitum, in a io epiſtolam, in alio evangeliū, in alio præfationem, in alio conſecrationem, in alio orationem Dominicam, in alio communionem, in alio poſtcommunionē, & in alio ultimum evangelium.) An hoc Eccleſia toleret? Interim ſequitur ex præcedentibus. Præterea, hinc etiam ſequeretur eū, qui promiſiſſet aut voviſſet ſe lecturum centies *Ave Maria*, ſemel legendo ſatisfacere. Patet: quia poteſt eodem tempore, eodem actu, pluribus eiuſdem obligationis partibus ſatisfacere. Quis id toleret? & tamen videtur benè ſequi.

De miſſæ auditione.

De lectione Roſarii.

Reſpondeo negando iſtā omnia: & ut me legitimè negare perſuadeam, prod co Axioma Theologicum XXIX. quod à nobis ponitur & dilucidatur n. 810. pag. 381. videlicet: *Actus rationalium agentium non operantur moraliter ultra eorumdem voluntatem.* Illud adducit etiam & dilucidat Bar-

Interpretandi leges modus.

LXXIX. An unica confeſſio ſufficiat pro duobus ...

Bartholomæus à S. Fausto *Thesauri libro 6. quæst.* 10. Cui adiungo alterum, quo utitur Layman *fol.* 92. *num.* 7. nimirùm, *Consuetudo est optima omnium legum interpres.* Ergo cùm Ecclesiasticæ leges omnes sint ad reformationem & ædificationem morum, & ad eosdem bonos mores consuetudine obediendi firmandos, interpretatio legis, quæ esset ad destructionem aut relaxationē, aut etiam contra bonos mores & consuetudines, esset ultra voluntatem Ecclesiæ; atque adeò nihil operaretur. At simul audire octo missæ partes, & ictu oculi ab Ecclesiâ discedere, esset contra omnium Fidelium consuetudinem, & cōtra voluntatem Ecclesiæ: ergo malè interpretantur legem, qui dicunt uno & eodem tempore me posse multis eiusdem præcepti partibus satisfacere.

De confessione annuâ & menstruâ.

LXXIX. An unica confessio sufficiat pro duobus annis?

HInc patet reiiciendam illam esse sententiam, quæ affirmat unâ confessione aut communione posse hominem duorum annorum obligationi satisfacere. Ipsa enim in materiâ gravissimâ ita interpretatur legem ut conscientias destruat, multasque animas periculo æternæ damnationis exponat.

Hinc etiam constat præceptum menstruæ confessionis & communionis, quod imponitur Parrochis & Religiosis, non pati illorum interpretationem, qui dicunt unicâ confessione aut communione duorum mensium obligationi satisfieri: est enim Superiorum intentum ut sacramenta frequententur; nam etiam inter seculares suæ conscientiæ diceretur negligens, qui mensibus singulis non confiteretur. *An pro duobus mensibus?*

De officio divino. An unica lectione duorum dierum obligationi satisfiat?

SIcut ex præcedentibus quæstionibus, qui illas assertivè resolveret, cogeretur hîc respondere assertivè, nimirùm in eo casu, quo quis vespere matutinas legeret, quas posset licitè pro hodiernâ & licitè recitare pro crastinâ. At nos, qui contrariis fundamentis insistimus: sicut ea quæ ingeniosè dicuntur, non contemnimus, sic opinionē contra communem Ecclesiæ usum, morū summam relaxationē inducentē nolumus doceri, aut doce-

facile indagare, quos fines sibi Ecclesia præscripserit: tùm, quia finis observandi tempus & colendi Deum hoc modo, nunquam cessat in communi neč in particulari. Nullâ ratio adduci poterit contra nostram & communem doctrinam, quæ non habeat solutionem claram & evidentem: nulla, quæ non æquè militet contra abstinentias Hebræorum in Testamento veteri; quas obligasse graviter multis Sacræ Scripturæ testimoniis suadetur.

An in testamento veteri abstinentia graviter obligaverit?

De legum acceptatione.

LXV. *An obligêt ante acceptationem & cur?*

LEges hodie non obligant, nisi acceptentur. Sed unde id habent? Alii ad ingenium earumdem: (feruntur enim ad ædificationem, & quæ ponerentur invitis, perturbarent) alii ad Superiorum clementiam & benignitatem recurrunt: (putant enim, Superiores non velle subditos invitos suis præceptis obstringere.) alii inter leges Civiles & Ecclesiasticas distinguunt: & meritò: nam Leges Divinæ non pendent ab hominum acceptatione, & Pontifici dedit iurisdictionem Christus, Regibus populus.

Vnde Pontifices, & unde Reges habeant authoritatem?

Si Lex acceptata sit à maiori communitatis parte, censetur ab omnibus acceptata, & debet observari à singulis: & qui privatim & secluso scandalo illam violaverit, peccat: &, si materia sit magna, mortaliter. Diana Caramuelem citat pro sententiâ contrariâ: det quæso verba, quia hanc frequentissimè Caramuel explicat & tuetur; & nunquam somniavit contrariam.

An debeat acceptari ab omnibus?

LXVI. *Quando desinant leges?*

Legum obligatio desinit, vel quia Superior desinit velle obligare, vel quod Communitas desinit velle obedire. Probatur & explicatur. Ut creatura duret, non sufficit, ut creetur à Deo: debet enim etiam conservari, nam conservatio est quædam creatio perseverans. Ergo similiter, ut lex duret, non sufficit, ut feratur aut condatur à Principe; sed est necessarium, ut ab eodem conservetur & manuteneatur: & eo instanti, quo Superior non vult illam manutenere, desinit. Et, si acceptatio est necessaria, sicut Superior dicitur non velle aut non posse (sunt enim quoad hoc, ut iam vidimus, diversæ & adversæ sententiæ) hodie obligare invitos, eodem modo dicetur non velle vel non posse

Creationis & conservationis distinctio.

cras.

CAPVT

CAPUT IV.

PRACTICUM: EDISSERENS FUNDAmenta specialia, quæ Leges materialiter sumptas concernunt.



LXVI. Ateria legum Actus Humani sunt, namlicèt personæ, actiones & res legib⁹ subesse dicantur, personæ & res subsunt propter actiones. At actus humani dividi solent in tres classes: alii enim merè interni, alii merè externi, mixti alii. Merè internos subesse Decalogo manifestum est: eosdem non subesse legibus Civilibus probabiliter & plausibiliter defendi solet: at eosdem non subesse legibus Ecclesiasticis est probabile propter authoritatem multorum. At ratione, quam dedi num. 475. ad 479. etiam nunc stringor, & nondum me scio expedire aliter, quàm duplicem authoritatem & iurisdictionem in Ecclesiâ adsignando: directivam videlicet & coercitivam: asserendoque illam esse internam, hanc externam: utrâque leges sanciri, at priori leges, de quarum observantiâ & transgressione iudicium relinquitur Deo: & posteriori leges de quarum violatione & observantiâ etiam homines iudicabunt. Huc me cogit illa à nobis obiecta ratio: qui satisfaciat illi, & tamen manuteneat actus purè internos non posse à Pontifice præcipi, erit mihi magnus Apollo. Tu rem benè perpende, & me iuva.

Actus humanus triplex.

Authoritas Ecclesiæ duplex.

De violatione modali.

LXVII. IN actu præcepto considerari potest substantia & modus actus.

Aliàs violatur leges

quoad substantiam: aliàs quoad modum ctûs. Et quidem communis & vera sententia asserit, esse peccatum mortale violare legem in materiâ gravi quoad substantiam; & esse tantummodò veniale, eamdem violare quoad modum.

Certa sunt hæc: at incertũ, an benè in singulis actibus assignetur, quid substantiale sit, & quid modale: cùm enim quæritur, An liceat pro officio feriali legere de Sancto: alii hanc circumstantiam esse modum lectionis præceptæ, adeòque eiusmodi mutationem condemnant peccati venialis: & alii, quia eamdem circumstantiam intrinsecam & substantialem esse dicunt, illam accusant de mortali. *An mutare officium sine causâ sit mortale?*

De comedente carnes in Hispaniâ die Sabbati.

LXVIII. *Hispanorũ recepta cõsuetudo.* Comedunt Hispani in suâ patriâ aliquas animalium partes, & alias non: dicuntque Madriti se posse comedere vituli caput, collum, brachiolum, caudam, pedes, intestina: hæc enim omnia vocant animalis spolia: & aiunt cæteras carnes non posse edi sub peccato mortali. An-ne caro colli differt à carne dorsi specie vel substantiâ? an tantùm accidenti vel modo? &, si modo, non peccabit mortaliter, qui in Hispaniâ die Sabbati comederit carnes. *An eiusdẽ animalis partes distinguãtur specie?*

Sic argumentantur nonnulli. Et hoc modo respondeo. Collum & dorsum aio posse considerari Physicè & moraliter. Considerata physi. è fortè distinguuntur specie, fortè non: nam vel dantur formæ partiales, quæ Scoticæ formæ corporeitatis correspondeant, & habeant partes heterogeneas, quod multi plausibiliter dicunt: vel carnis partes sunt omnes homogeneæ, quod multi probabiliter asserunt, accidentaliter vel modaliter carnem à carne distinguentes. At verò eædẽ carnium partes apud Hispanos consideratæ moraliter, distinguuntur substantiâ: nam ob summum defectum piscium concedit aut permittit Ecclesia caput, collum &c. vice piscium: ergo hæ partes virtualiter loquendo pisces sunt, nam positâ concessione aut permissione, licèt realiter sint carnes, prudentum iudicio & æstimatione ita se habent ac si essent pisces: quod dorsum, armus, & cæteræ partes interdictæ non habent. *Carnium consideratio physica.* *consideratio moralis* *An caro possit esse piscis moraliter.*

Firmatur, aut etiam demonstratur hæc veritas. Forma enim cadaverina multorum Doctorũ sententiâ est eiusdem speciei in

omnis

omnibus omninò animantibus. Ergo ſtando huic ſententiæ, quæ probabilis eſt, animalium & piſcium carnes mortuæ (non enim comedimus vivas) ſunt eiuſdem ſpeciei ſubſtantialis: & tamen nemo dixerit ob hanc rationem licere comedere carnes die veneris: carnium enim & piſcium moraliter & virtualiter loquendo (quidquid de conſideratione ſit Phyſicâ) diſtinguuntur ſpecie ſubſtantiali.

Doctrinam hanc fortiùs & robuſtiùs confirmo. Aliquorum animalium aut etiam piſcium carnes (ſues, anguillæ, &c.) interdicebantur olim in teſtamento veteri ſub peccato mortali: erat igitur eſſentialis differentia inter ipſas, non Phyſica: ergo moralis aut virtualis.

Corollarium. *Ergo multa diſtinguuntur modaliter aut accidentaliter in Phyſicâ, quæ in Ethicâ diſtingui debent ſubſtantialiter: Ergo multa ſimiliter diſtinguentur in Phyſicâ eſſentialiter & ſubſtantialiter, quæ eiuſdem ſint ſpeciei moraliter conſiderata?* Prior Corollarii pars patet ex dictis; poſterior, quia qui dicunt aurum argentumque diſtingui ſpecie, non tamen dicunt furtum auri à furto argenti ſpecie morali differre.

De legum qualitate.

LXIX. *De materiâ levi & gravi.*

PUto non poſſe hominem in materiâ levi ſubditos ſuos obligare ad peccatum mortale. An in gravi ad veniale? Utrumque probabile eſt. Noto nihilominùs obiter: aliqua videri primo intuitu levia, quæ ſunt gravia: & alia gravia, quæ ſunt levia. Quid enim levius ſcintillâ ignis? Quid levius voculâ *ſic?* & interim, ſi ſcintilla in dolium pyrii ſulphuris cadat, ædificia ſolidiſſima evertet, & homines multos interimet. Et, ſi poſt informationem ſemiplenam rogeris, an Petrum furari videris, & reſpondeas quod ſic: unica contemptibili voculâ, & quæ unicam ſyllabam habet, eum ad patibulum proferes, & laqueo pendes. Ergo res quæ intrinſecè & quoad ſe conſideratæ leves ſunt, conſideratæ extrinſecè & quoad effectus, ſolent interdùm eſſe graves. Sicut & etiam graves res, ſi in ordine ad levem aliquem finem ordinentur, (tunc enim à fine quantitatem ſuſciperent) formaliter loquendo eſſent leves.

Interdum differunt magnitudo vera & apparens.

Quantitas duplex: intrinſeca & extrinſeca.

Quantitas relativa.

De actu completo & incompleto.

LXX. *An actus completus & incompletus distinguantur specie?*

NUllus, quem viderim, posuit tanquam Regulam universalem, *Actus inceptus & completus differunt tantùm circumstantiâ, vel modo.* At multi ponunt particulares Assertiones, quæ esse veræ non possunt, nisi hæc universalis admittatur. Ponamus igitur exercitii gratiâ hanc universalem, & quid inde inferatur aut non inferatur videamus. [Nota benè illud verbum *exercitii gratiâ*: volo enim ponere illam propositionem non ut Theologus, sed ut Logicus, ut inde inferendas consequentias explorem.]

De furto.

Quærunt Authores, An qui mille aureos sit furatus, satisfaciat in confessione dicendo, *Rem notabilem furatus sum?* Consequētia doctrinæ postulat, ut respondeamus affirmativè. Et quidem hoc ipsum poterit aliquis dicere, & subscribere Navarro, Bonacinæ, Vazquezio, Megalæ, Zanardo, Gipsio, Zerolæ, quos probabiliter loqui asserit Diana *part.1.tract.7.resol.14.* Consultò illud probabiliter expressit Diana, quia posset probabiliter aliquis dicere in mille aureorum furto, reperiri unicum furtum physicè, at politicè & in foro Civili, tot furta, quot materiæ sufficientes ad laqueum secundum leges loci in quo furtum committitur: & in foro Dei, tot actus, & tot furta reperiri moraliter, quot materiæ sufficiētes ad peccatum mortale. Ergo stando huic doctrinæ, si aurei sint tanti, ut singuli sufficiant ad mortale, qui mille aureos furatus fuit, unicū peccatū commisit, quod virtualiter loquendo mille æquivalet; imò, moraliter loquendo est millecuplex: ergo cùm confitetur & dicit, *Materiam gravem furatus sum.* Non cōfitetur actum incompletum pro completo; sed cōfitetur unum actum completum in ratione mortalis, & omittit 999, actus mortaliter peccaminosos, & licèt primo realiter identificatos, ab eodem virtualiter distinctos: quos etiam exponere deberet.

An unicū furtū physicū sit multiplex politicè & moraliter?

LXXI. *De Officii Divini omissione.*

Quęrunt etiam Theologi, An qui omisit totum officium divinum, satisfaciat dicendo, *Omisi partem notabilem*: aut etiam, *Omisi materiam sufficientem ad mortale?* Asserit Diana *part.2.tract.12.resol.23.* & citat Squillantem &c. Et ut hanc opinionem teneat, debet duas supponere, *alteram* nimirùm affirmantem, totum unius diei officium cadere sub unicum præceptum: [Qui enim singulas horas singulis pręceptis sub-

An totum cadat sub unum præceptum?

ſubiiciunt, illo modo confitendi contenti eſſe non poſſunt, quoniam in eorum ſententiâ qui totum officium divinum omiſit, violavit octo præcepta, & commiſit octo peccata mortalia, quæ tenetur exponere.] *Alteram*, quam expendamus, nempè dicentem peccatum graviter inceptum & completum differre circumſtantiâ aggravante.

LXXII. De fornicatione: inceptâ & completâ.

Progrediuntur ad materiam fornicationis; & ut conſequentiæ filum teneant, ſic aiunt [Peccatum graviter inceptum & completum non differunt ſpecie, ſed circumſtantiâ aggravante: ergo ille, qui cognovit fœminam ſatisfaciet dicendo, *Cum fœminâ peccavi mortaliter?* aut etiam, *Fornicationem incepi?* Ut iudicium ferre de hoc diſcurſu poſſimus, proderit audire Dianam, qui *part.3. tract.4. reſol.* 88. interrogat, An, qui commiſit fornicationem, ſatisfaciat in confeſſione dicendo, *Commiſi grave peccatum in materiâ caſtitatis cum ſolutâ?* & reſpondet. [Hanc quæſtionem reperi apud neminem, niſi noviſſimè apud ſolum Turrianum, qui *libr. de pæn quæſt.* 9 *art.2. diſp.2. ad arg.5.* obſervat, Recentiores aliquot iudicare probabile eiuſmodi modum confitendi: & eorumdem ſententiam ab eodem (Turriano) iudicari probabilem.] Et quid de eorumdem doctrinâ Diana iudicat? [An ſit verè probabilis, ait, aliis iudicādum relinquo, communis enim uſus fidelium eſt in contrarium.]

LXXIII. Poſſunt cũ ſolutâ multæ ſpecies peccatorũ committi.

Hîc ego exiſtimo, eum qui fornicationem commiſit, non explicare ſpeciem ſui peccati, ſi dicat, *Cum fœminâ peccavi mortaliter.* Neque etiam, ſi dicat, *Commiſi grave peccatum in materiâ caſtitatis cum ſolutâ.* Quia præter fornicationem etiam aliæ ſunt peccatorum ſpecies contra caſtitatem, quæ poſſunt cum ſolutâ committi. Ergo minimùm deberet dicere. *Commiſi grave peccatum in materiâ fornicationis cum ſolutâ:* at tunc fornicationem cõfiteretur; & faciliùs & breviùs diceret *Sum fornicatus.*

Quid ſi diceret, *Incepi fornicationem cum ſolutâ?* Sic deberet loqui Turrianus; & Diana deberet hunc modum confitendi admittere, vel quæ dixit de omiſſione Divini Officii partiali & furto partiali negare.

Putarem interim nimis genericè & malè confiteri, qui poſtquam completam fornicationem commiſit, ſe incompletam commiſiſſe fatetur: malè enim confiteretur, quia tribunalia differunt à Scholâ: & in illis

Interdum nimia nocet ſubtilitas.

H 2 præ-

præcisiones non habent locum, juxta illud *Nimia subtilitas in iure reprobatur.* Et qui asserit se incompletam fornicationem cõmisisse, moraliter negat se completam commisisse, & in nostro casu mentiretur. Quod in confessione non licet. Confiteretur etiam nimis genericè: quia incompleta fornicatio habita cũ animo complendi, ab eâ quæ habetur sine animo complendi, sicut & illa quæ incipitur cum animo decidendi intra vas, & illa quæ incipitur cum animo decidendi extra vas, multum differunt: prior enim ad naturales culpas pertinet, & altera, cùm non ordinetur ad generationem prolis, imò potiùs ad non-generationem ordinetur, ad mollitiem vergit, & ideò in ipsomet usu instrumentorum naturalium contra naturam est. Ergo adhuc stando generali illi doctrinæ quam exercitii gratiâ poni iussimus, in materiâ fornicationis actus incompletus pro completo in confessione poni non posset.

Actus extrinseci sæpè sumunt ab intẽtione speciem.

LXXIV. Sed uberioris doctrinæ gratiâ, ut meliùs essentiæ moralium formalitatum luceant, licèt id falsum sit, ut iam diximus, ponamus benè & sufficienter confiteri, qui rem compleverit cum fœminâ, & tamen in confessione dicat, *Fornicationem incepi*: an etiam satisfaciet in Sodomiâ & pollutione tactibus alienis procuratâ, qui dicat, *Cum viro peccavi mortaliter*, aut saltem, *Tangendo alium peccavi graviter*, non explicando, an peccatum fuerit completum aut incompletum? Respondeo diminutè confiteri, quia omnia peccata contra naturam licèt in suo genere, sicut pes & caput in homine, soleant dici completa, sunt physicè incompleta; nam seminis effusio naturâ suâ ordinatur ad generationem, & naturâ suâ postulat vas conveniens, quod in peccatis contra naturam non complectur: cùm ergo ipsa omnia specie differant à fornicatione, non possunt confundi cum fornicatione incompletâ. Cùm ergo multæ sint species peccatorum mortalium, quæ possunt committi cum viro, [Nam hæc opinio est in praxi tenenda & defendenda] non satisfaceret, qui genericè diceret, *Cum viro peccavi mortaliter.* Neque, qui diceret, *Tangẽs alium peccavi graviter*: quia tactus possunt differre specie.

An omnia contra naturalia peccata sint incompleta?

Tactus possunt differre specie.

LXXV. An saltem in materiâ mollitiei (nimirùm ille, qui se voluntariè polluerit) satisfaciet, qui dicat, *Tangendo me, peccavi mortaliter.* Aut

Quæ sit ... actio ... ?

An moro... delecta... sit cõtra naturam?

LXXVI. *An acci... ...*

Aut fortè, *Habui pollutionis initium*. Aut tandem, quia teste Galeno omnis delectatio morosa est initium mollitiei, *Morosè delectatus sum*.

Quid sit delectatio morosa?

Respondebo, omnem delectationem morosam esse commotionem seminis, & in effusionem tendere: at naturâ suâ vas naturale postulare: ergo rigorosè loquendo non est pollutionis initium: ergo non satisfacit, qui confitetur, dicens: *Morosè delectatus sum*. Præterea: omnis delectatio lasciva naturâ suâ capax est, ut sit secundum naturam; at ipsamet effusio seminis in pollutione est huius denominationis incapax: ergo, si pollutio est intrinsecè contra naturam, & delectatio morosa & quæcumque spirituum seminalium commotio intrinsecè est secundum naturam, & extrinsecè indifferens: [nempè secundum naturam, si ordinetur ad copulam: & contra naturam, si forte ordinetur ad non copulam:] ergo non benè confitebitur, qui res tam diversas confundat.

An morosa delectatio sit cõtra naturam?

De multis peccatis, quæ committuntur eodem impetu.

LXXVI. *An accidẽtia puro numero distincta in eodem subiecto esse possint?*

POsse unum & idem corpus habere plures vestes etiam distinctas puro numero (accidẽtia sunt ipsæ ad prædicamentum *Habere* pertinentia) certum est. Posse unum & idem fundamentum habere plures terminos distinctos puro numero, etiam est certum. In hoc casu etiam esse habiturum plures relationes distinctas puro numero, est probabilius & communius. Et tandem idem subiectũ posse habere plura accidentia distincta puro numero est in reali Platonicorum Scholâ rejiciendum, & à cæteris Scholis admittitur, & à Thomistis, cùm ex unâ parte nolunt esse Platonici, & ex aliâ volunt Platonicorũ opiniones tueri, summâ cum difficultate propugnatur. Ergo in Physicis facilius est asserere plures formas (intrinsecas, extrinsecas) distinctas puro numero esse posse in eodem subiecto reali, quàm negare.

An plures relationes aut termini?

Ergo transeundo ad moralia, consequentia doctrinæ postulat, ut dicamus plures malitias distinctas puro numero esse posse in eodem actu reali: & hoc, sive malitia dicatur esse accidens intentionale, sive artificiale sicut vestis; sive accidẽs extrinsecum, aut relativum, ut relatio aut relationis terminus: sive intrinsecũ, ut quantitas aut qualitas.

An plures malitiæ puro distinctæ numero in eodẽ subiecto esse possint?

Quale accidens malitia sit?

Hinc patet, stando huic hypothesi, eum, qui non solùm unico impetu, sed unico actu plu-

An unico impetu plura numero distincta

 ries.

crimina committi possint?

ries blasphemet, pluries peieret, pluries vulneret, occidat, pluries fornicetur, aut cum pluribus simul lasciviat, aut etiam pluries mentiatur, plura peccata committere.

De concurrentiâ præceptorum.

LXXVII. An uno & eodē actu legibus diversis satisfiat?

CErtum est te posse uno & eodem actu duobus præceptis satisfacere: nam, qui die Resurrectionis audit sacrum, unâ & eâdem auditione satisfacit legi audiendi sacrum die festo, & legi illud audiēdi die dominicâ. An, qui illâ die non audiet sacrum duo peccata committet? Violabit quidem duas leges: &, si dicantur diversæ specie, cessabit quæstio: si iubeantur distingui puro numero, veniemus ad præcedentem controversiã; videlicet, An duæ malitiæ distinctæ puro numero esse possint in eodem subiecto? Et quia differunt Authores inter se, poterim⁹ uno aut altero modo philosophari.

An unâ & eâdem omissione peccetur contra plures leges? An & multa peccata committãtur?

De præcepti partibus.

LXXVIII. An eodem possit tempore satisfieri duab⁹ distinctis eiusdem præcepti partibus?

MUlti dicunt, sicut duobus simul præceptis, sic & duabus præcepti partibus, se posse eodem tempore & eâdē actione satisfacere: unde inferunt, eum, qui præsens sit duobus altaribus, & in altero audit missam ab initio ad elevationem, & in altero eodem tēpore ab elevatione ad finem, missam audîsse integram, & Ecclesiæ præcepto satisfecisse. At ex istâ doctrinâ sequeretur eum, qui in octo altaribus, Sacerdotibus ita dispositis, ut simul octantes Missæ recitent, totam uno temporis minuto auditurũ (puta, in uno altari introitum, in alio epistolam, in alio evangeliũ, in alio præfationem, in alio consecrationem, in alio orationem Dominicam, in alio communionē, in alio postcommunionē, & in alio ultimum evangelium.) An hoc Ecclesia toleret? Interim sequitur ex præcedentibus. Præterea, hinc etiam sequeretur eũ, qui promisisset aut vovisset se lecturum centies *Ave Maria*, semel legendo satisfacere. Patet: quia potest eodem tempore, eodem actu, pluribus eiusdem obligationis partibus satisfacere. Quis id toleret? & tamen videtur benè sequi.

De missæ auditione.

De lectione Rosarii.

Respondeo negando istã omnia: & ut me legitimè negare persuadeam, produco Axioma Theologicum XXIX. quod à nobis ponitur & dilucidatur n. 810. pag. 381. videlicet: *Actus rationalium agentium non operantur moraliter ultra eorumdem voluntatem.* Illud adducit etiam & dilucidat Bar-

Interpretandi leges modus.

LXXIX. An unica confessio sufficiat pro duobus ...

Bartholomæus à S. Fausto *Thesauri libro 6. quæst.* 10. Cui adiungo alterum, quo utitur Layman *fol.* 92. *num.* 7. nimirùm, *Consuetudo est optima omnium legum interpres.* Ergo cùm Ecclesiasticæ leges omnes sint ad reformationem & ædificationem morum, & ad eosdem bonos mores consuetudine obediendi firmandos, interpretatio legis, quæ esset ad destructionem aut relaxationẽ, aut etiam contra bonos mores & consuetudines, esset ultra voluntatem Ecclesiæ; atque adeò nihil operaretur. At simul audire octo missæ partes, & ictu oculi ab Ecclesiâ discedere, esset contra omnium Fidelium consuetudinem, & cõtra voluntatem Ecclesiæ: ergo malè interpretantur legem, qui dicunt uno & eodem tempore me posse multis eiusdem præcepti partibus satisfacere.

De confessione annuâ & menstruâ.

LXXIX. *An unica confessio sufficiat pro duobus annis?*

HInc patet reiiciendam illam esse sententiam, quæ affirmat unâ confessione aut communione posse hominem duorum annorum obligationi satisfacere. Ipsa enim in materiâ gravissimâ ita interpretatur legem ut conscientias destruat, multasque animas periculo æternæ damnationis exponat.

An pro duobus mensibus?

Hinc etiam constat præceptum menstruæ confessionis & communionis, quod imponitur Parrochis & Religiosis, non pati illorum interpretationem, qui dicunt unicâ confessione aut communione duorum mensium obligationi satisfieri: est enim Superiorum intentum ut sacramenta frequententur; nam etiam inter seculares suæ conscientiæ diceretur negligens, qui mensibus singulis non confiteretur.

De officio divino. An unica lectione duorum dierum obligationi satisfiat?

SIcut ex præcedentibus quæstionibus, qui illas assertivè resolveret, cogeretur hîc respondere assertivè, nimirùm in eo casu, quo quis vespere matutinas legeret, quas posset licitè pro hodiernâ & licitè recitare pro crastinâ. At nos, qui contrariis fundamentis insistimus: sicut ea quæ ingeniosè dicuntur, non contemnimus, sic opinionẽ contra communem Ecclesiæ usum, morũ summam relaxationẽ inducentẽ nolumus doceri, aut doce-

docere: nostramque nolui... ité prudentem & legitimam esse probamus. Nam, si tibi teneretur Petrus solvere centum aureos feriâ secundâ, & alios centum feria tertiâ; ex eo quod tu permittas, quod feriæ tertiæ debito satisfacere possit feriâ secundâ, nõ sequetur illum solvendo cẽtum aureos semel posse duorũ dierũ obligationi satisfacere. Ergo eodẽ modo de Ecclesiastico debito philosophare. Tenemur legere Officium Divinum quotidie: & ut faciliùs possimus, permittit Ecclesia ut hodie post vesperam possimus legere Matutinas & Laudes pro die crastinâ: an ne inde sequetur eamdem Ecclesiam unicâ Matutinarum & Laudum lectione pro duarum dierũ debito esse cõtentam? Minimè. Tenebimur ergo bis legere, ut duorum dierum obligationi satisfaciamus.

Unâ & eâdem pecuniâ nõ potest satisfieri duobus debitis.

An auditione eiusdem missæ duarum dierum obligationi satisfiat?

LXXXI. Quæstio præcedenti simillima.

SI Pontifex anticiparet tempus, ita ut dies hodierna finiretur mediâ nocte, & dies crastina inciperet unâ horâ ante mediam noctem, illa hora communis posset excitare difficultatem de missâ, quæ tunc diceretur, aut audiretur: & ego sicut quæstionem præcedẽtem sic etiam præsentem dissolvo.

De brevitate temporis.

LXXXII. An peccati gravitas pendeat à tempore?

SUnt peccata, quæ tempore complentur brevissimo, ut blasphemia, periurium, homicidium, &c. Et in his tẽporis brevitas non excusat: sunt alia, quæ suum tempus postulant, ut compleãtur, sicut laborare die festo; & ista, ut mortalia dicantur, brevi quocumque tempore fieri non possunt.

CAPUT

CAPVT V.
DE CLAVIBUS IURIS CANONICI.

LXXXIII. St valdè utilis exacta Clavium intelligentia: at eadem, ſi non ſit exacta, eſt pernitioſa; clavis enim intorta, non ſolùm non aperit ianuam, ſed turbat ſeram, ne poſteà rectâ clavi aperiatur. Ergo ſummopere allaborandum eſt, ut benè exponantur illæ Regulæ, quæ Iuris Canonici ſunt. Expoſitionem dedimus *pag.* 240. eamdem olim auctiorem & uberiorem dabimus. *An ſit clavium notitia neceſſaria?*



CAPVT VI.

COMPLECTENS PRINCIPIA NATVRALIA,

quibus fundari & substrui debeat vera Intelligentia Decalogi.

LXXXIV. An actus sint mali, quia vetiti; an verò sint vetiti, quia mali?



DE Lege Naturali multa scripsi, & omnia ad Scoti mentem: quam hodie multi Viri docti defendunt mihi enim Lex naturalis est lex à Deo liberè lata (nullus enim in Deo actus est necessarius, cuius obiectum non sit Deus) quod si vidisset Bosius, non fuisset tam miserè hallucinatus, nec imposuisset errorem Caramueli, quem non somniavit. Edidit suum Tomum III. ille & in ipso duos Titulos contra Caramuelem: & quidquid de primo sit, respondeo ad secundum eodem modo, quo in Quæstione illâ ultimâ Theologiæ Fundamentali adjectâ; dicens videlicet, *Bosium quia doctus est, & quia bonus, debere sumere calamum, & à primâ lineâ ad ultimam omnia delere, quæ Andabatarum instar conglomerat: quam enim sibi adfingit Bosius, antequam in illo illa legisset, nunquam viderat aut audierat Caramuel.* Hæc est mea ad Bosium responsio: quia, si ponitur doctrina Scotistarum esse vera, & etiam doctrina Thomistarum esse vera, cùm sint oppositæ; habemus multas propositiones contradictorias simul veras.

Summa Bosii, & in amicum error.

DE

DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

LXXXV. VT quis teneatur admittere Fidem Catholicam, debet cognoſcere certò iſtam obligationem: aut illam ignorare liberè & vincibiliter. Ignorantia invincibilis excuſat in omni materiâ. Sunt in mundo nonnulli Hæretici materiales. An hîc & nunc iſte ignoret invincibiliter Fidem Catholicam, eſt quæſtio de facto, ſæpè ignota aut difficilis: & quia novitas religionis Hæreticæ eſt ratio hæreticos damnans & nota omnibus, ſupponimus ignorantiam eſſe craſſam & ſuperabilem, niſi fortè in aliquo particulari caſu cogamur tenere contrarium. Et hodie in Bohemiâ hæreticos ad nos venientes, ſine facultate ſpeciali nemo abſolvit. [Idem de Barbaris & Ethnicis dicendum eſt: videntur enim omnes aut pleriq; aut ſaltem inter ipſos plurimi vincibiliter Deum ignorare. Sed quia etiã hæc eſt quæſtio de facto, utrùm hic aut ille in particulari barbarus ignoret Deum invincibiliter, Deo iudicandum relinquo. Negare enim non poſſum eſſe multa etiam eidem barbaro nota, quæ mihi velut digito intenтo monſtrans Deum: ergo & ipſa poterunt alii cuicumque, niſi nimis ſit hebes & ſtupidus, Deum demonſtrare.]

An ſint hodie in Europâ Hæretici materiales?

An aliqui qui Deum ignorent invincibiliter?

LXXXVI. Veſtibus homo loquitur, claſſis vexillis, ſicut verbis. Si veſtes ſignificent religionem Turcicam, illis uti non poſſum, ſi nationem & gentem, poſſum. Hæc eſt doctrina communis & bona: & intelligenda erit de peccato mortali: quia, ſi aſſumere veſtes religionis Turcicæ eſt profiteri veſtibus religionem Turcicam, quod eſt mortale: aſſumere veſtes nationis Turcicæ, erit profiteri nationem Turcicam, quod in aliquo è noſtris erit mendacium ſaltem & peccatum veniale.

An liceat uti veſte Turcicâ?

Hæc verba *Nullus in orbe Deus*, poſſunt dici, formaliter & materialiter; in propriâ & alienâ perſonâ: abſolutè & cum reſtrictione. Formaliter ea verba Petrus diceret, ſi intenderet vocum exprimere ſignificationem: materialiter, ſi pedes & ſyllabas, à ſignificatione præſcindens: illa enim propoſitió, licèt nihil ſignificarent eius partes, correſponderet huic ideæ Metricæ, *-υυ-υυυ*. In perſonâ propriâ loquitur homo, cùm nomine proprio; in alienâ cùm alieno: ut in Comœdiâ videre eſt, qui enim unum Ethnicum aut Ty-

Modi loquẽdi varii: & valdè conſiderandi.

rannum agit, multa poteſt & ſolet dicere, quæ nomine proprio non poſſet. Qui abſolutè loquitur, ſumit verba ut iacent & ſonāt: qui cùm reſtrictione, ſumit contractiùs; nam ſi nomine *Dei* juxta contextum & priùs dicta Idolum ethnicum intelligatur, in tali caſu & ſenſu non eſſet ethnicus aut atheus, qui diceret nullum in orbe Deum colēdum eſſe. Ex his quatuor verborum acceptionibus multæ oriuntur difficultates. Aliquas in Theologiâ Fundumentali à num. 1042. propoſui: in quibus omnibus diſcam libentiùs, quàm docebo.

LXXXVI. De Spei limitibus. Iniuriam facit Deo, qui Spem naturalem & ſupernaturalem eiſdem terminis limitibusque circumſcribit. Sperare poſſumus in ſpe contra ſpem: in virtute Dei contra vires naturæ: at hoc ipſum prudenter, ne ſub ſpei ſupernaturalis colore in præſumptionem incurramus. Interim, quia verba Sacræ Paginæ, ut nos inſtituamur, leguntur, has lineas ob oculos pono: *Gens absque conſilio & ſine prudentiâ: utinam ſaperent & intelligerent, & noviſſima providerent. Quo modo perſequeretur unus mille, & duo fugarent decem millia? Nonne ideo quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus conclusit illos. Non enim eſt Deus noſter ut Dii eorum; & inimici noſtri ſunt iudices.* Deut. cap. 22. *Qui* (*Abraham*) *contra ſpem in ſpe credidit, ut fieret pater multarum gentium: &c.* Apoſtolus ad Rom. 4. *Spes cōtra ſpem.*

An Charitas & Gratia diſtinguantur? Gratia & Charitas comites ſunt: quam ob rem aut dicendæ ſunt indiſtinctæ aut ſaltem non poſſe ſeparari. Qui Scholæ Modali navant operam, meliùs dicent Gratiam eſſe modum Charitatis, quàm contrà.

DE SECUNDO PRÆCEPTO.

LXXXVIII HUc Juramenta & Vota pertinent: & quia differunt, confundi in Scholâ non debent.

Solennis & ſimplicis voti differentia. Solenne & Simplex votum non differunt ſpecie. Qui vota emittit bono & ſincero animo in religione approbatâ, ſed ante ætatem debitam v. g. licèt hoc impedimentum ipſe ignoret, invalidè emittit. An ſaltem tenebitur ſimplicibus? Hoc ab eius voluntate pependit; nemo enim obſtringitur votis invitus. *An invalida profeſſio vota ſimplicia inducat?* Si voluit ſe vovere Deo ſolenniter; &, ſi hoc modo non poſſet, ſimpliciter: ceſſat quæſtio. Si voluit vovere ſolenniter; &, ſi hoc non poſſet, manere liber, ceſſat etiam quæſtio. Quid, ſi neutrum expreſsè voluit? Rogandus eſt, quid

quid voluisset, si fuisset rogatus. Et, si hæreat, nesciatque quid voluisset, putarem eum voluisse quod plerumque volumus, quia Regula XXX. docet in obscuris minimum esse sequendum. Et Regula VL. iubet, ut inspiciamus in obscuris, quod est verisimilius, & quod plerumque fieri consuevit: cùm ergo pauci habitantes in sæculo obstringantur simplicibus castitatis paupertatis & obedientiæ votis, & paucis illorum simplex promissio suadeatur, censendum est illum, de quo impræsentiarùm agimus, non teneri.

An possit Pontifex dispẽsare? Certum est Summum posse Pontificem in voto solenni dispensare: id negarunt Veteres probabiliter, sed iam rem examinavimus accuratiùs & oculatiùs: nam si Ecclesia dispensandi potestatem reservat, quis neget posse illam dispensare? Certum est etiam esse hodie vota solennia in Ecclesiâ.

Obiectum voti. Votum esse debet de re possibili. Ita omnes. Quæris, An qui castitatem voverit, & posteà videat eius observantiam esse sibi impossibilem, voto teneatur? *Castitas est possibilis.* Respondeo, castitatis observantiam omnibus aut ferè esse difficilem, nulli impossibilem.

LXXXIX. Quæris, An qui reperit novam aliquam summè gravem difficultatem post emissionem voti, illo teneatur? *An & qu o possit mo o aliquis a voto resilire?* Respondeo me apud Authores legere benignas opiniones circa votum simplex; quia videntur sic voventes retinere aliquod ius, ut resiliant, si ad impletionem incognitæ obligationis cogantur: at, qui solennia vota emittit uno anno singula expertus, prudenter putare potest se omnia consideratione digna prævidisse, & quia actus solennis omnem conditionem excludit iuxta Iuris Regulam L. [nimirùm, *Actus legitimi (solennes) conditionem non recipiunt, neque diem.* Vide Layman *libr. 1. tract. 5. part. 1. cap. 7. num. 1.*] *De professione conditionatâ.* cedit suo iure si quod habere posset, ponendi aliquam limitationem aut conditionem. Nec refert, votum solenne & simplex non distingui specie, sufficit enim ea distingui ut iubeamur in uno modo procedere, & alio in alio.

XC. *An coniugescastitatem vovere possint?* Suadendum est coniugi ne castitatem temerè voveat: possent enim ex voto alterius magna peccandi pericula exoriri. Quòd, si uterque communi cõsilio velit vovere, vel quando alter solus vovet, res ita disponantur, ut vel legitimè separentur, vel ita vivant, ut nullum sit pec-

candi periculum, tale votum erit Deo gratum, & laudandum ab omnibus.

Proponitur casus metaphysicus & speculativus.

Mulier, quæ sine delectatione propriâ sensuali (nota hanc limitationem) & sine periculo assensûs in propriam delectationem (nota etiam hanc) multi enim & doctè existimant id abesse non posse: & multi etiam nec abesse delectationem posse doctè existimant (& hoc etiam tu adnota, ut videas me proponere casum speculativum, qui reduci non possit ad praxim) tactibus polluit alium vel aliam, ut non ipsa, sed alius vel alia habeat delectationem, peccavit quidem mortaliter; sed si esset Monialis non fuisset operata contra votum castitatis. Notentur singulæ circumstantiæ, quia hîc casus ab aliquibus malè proponitur: si enim illa Monialis habuit delectationem aut periculum, peccasse contra castitatis votum certum est.

XCI. *De pecuniâ nomine alterius expendenda.*

Hæc propositio. *Potest aliquis dare Religioso quamcunq; pecuniam ad usum Religiosi liberè & ut voluerit dispensaturi, reservans sibi dominium talis pecuniæ. Religiosus illâ pecuniâ nomine alterius utens non peccabit contra paupertatem. Peccabit tamen contra obedientiam, si recipere munera aut Regula aut Prælatus inhibeat.* Mihi in Comm. in Reg. S. Benedicti *num.* 883. visa est hæc Propositio probabiliter defendi posse. Eamdem expendo in Theologiâ Fundamentali *num.* 1072. & iterum iudico probabilem: addo tamen *num.* 1076. *in fin.* hanc eamdem doctrinam aliàs veram, esse vitæ Religiosæ nocivam. Ergo potest Scholis relinqui ut ibi speculativè examinetur: nam practicè nulli est suadenda subdito, & à nullo est Superiore toleranda. Ergo, siquidem hoc verum est, implicitè ab omni Prælato est interdicta, cuius voluntas tacita & implicita est nihil permittere, quod sit nocivum & perniciosum.

Hæc opinio, quæ in uno privato religioso esset nociva, in communitatibus Patrum Franciscanorum, qui nihil habent in communi aut in particulari, [nam dominium manet vel penes donantem, vel penes Summum Pontificem, vel penes alium; saltem penes eosdem religiosos non manet.] videtur admitti debere, & esse utilis aut necessaria; nullo alio modo melius explicabitur carentia totalis dominii, quàm supponendo istam sententiam.

Nota,

Nota.

Patrum Hibernorũ Pragensium laus.

UT doctrina præcedẽs melius intelligatur, addam has lineas. Moriebatur D. Philippus Laurentius Meleſſoſeskius, Archidiœceſeos Pragenſis Preſbyter, volebatque omnia ſua legare cuipiam Patrum Franciſcanorum ſtrictæ obſervantiæ Monaſterio, & quia dicti Patres rigidam paupertatem obſervant, & nihil in particulari aut etiam in communi poſſident, Virorum doctorum conſilio in ſuo Teſtamento hanc clauſulam difficultatibus plenam inſtituit.

D. Philippi Laurentii Teſtamentum.

Videlicet. *Hæredem ſubſtantiæ meæ, ſive illa in pecuniâ paratâ, ſive in debitis, ſive in mobilibus vel immobilibus, vel quocumque tandem conſiſtat univerſalem conſtituo Dominum N. Syndicum, vulgò Patrem Spiritualem Fratrum Minorum ſtrictioris obſervantiæ, quam ſubſtantiam ita univerſaliter à me legatam, in uſum & neceſſitates Religioſorum, ſecundum libitum eorum, à prænominato hærede inſtituto applicari vel converti volo, ac firmiter præcipio.*

Quæſtiones incidẽtes.

Circa literam huius Teſtamenti, multa poſſent dubia proponi, quæ non concernunt illam difficultatem, ob quam producta: multa, quæ illam concernunt: aliqua ſcribo.

Quæritur primò: adeunte hæreditate Syndico quisnam futurus ſit dominus proprietarius omnium bonorum, quæ habebat D. Philippus Laurentius? Erit, ſi ſtemus Teſtamenti literæ, ipſemet Syndicus: quoniam quicumque univerſalis hæres adquirit dominium, & poſtquam hæreditatem adit, fit verus & proprietarius dominus totius hæreditatis. Et, ſi hoc eſt verum, quo modo, quæſo, verum erit omnium rerum quarum uſum habent ſtrictioris obſervantiæ Religioſi, proprietatem ad Summum pertinere Pontificem? An non debuiſſet potiùs D. Philippus Laurentius uti his, aut ſimilibus verbis. *Hæredem ſubſtantiæ meæ conſtituo Sanctiſſimum D. N. Innocentium, voloq́ ut eius nomine Pater Spiritualis &c. & non alius hæreditatem adeat, eamque impendat in uſus Patrum, &c. Secundum voluntatem eorum, &c. & non aliter.* Vel ſic. *Syndicum quà talem (hoc eſt, quà agentem nomine Summi Pontificis) conſtituo hæredem, &c.*

Quæritur ſecundò, quo modo eſſet peccaturus, & cogi aut etiã puniri poſſet dictus Syndicus, ſi ſtaret literæ dicti teſtamẽti, & diceret, ſe eſſe dominum pro-

proprietarium omnium bonorum illius boni defuncti, nec teneri ex iustitiâ aliquid dare? Quo quæso modo, si adderet se solo præcepti nomine obstringi, iuxta illa verba, *volo ac firmiter præcipio.* Et se non esse defuncti subditum, nec eius præcepto teneri? An ne dictus Syndicus retinendo, quæ sua sunt, peccaret, esset fur, & teneretur ad restitutionem?

An peccare aliquis possit retinendo, quæ sua sunt?

Sed hæc relinquamus aliis examinanda: nosque eiusdem Testamenti literam, quantum nostra inter est, consideremus. Ecce in pecuniâ, quæ legatur, liber usus à dominio distinguitur; & præcipitur, ut illa secundum liberam Patrum Franciscanorum voluntatem in eorumdem utilitatem expendatur, quin ipsi adquirant dominium in communi aut in particulari. Ergo, si potest testator distinguere proprietatem ab usu libero, ita ut illam vel Summo Pontifici, vel alicui personæ capaci concedat: & hunc Patribus Franciscanis, quin ipsi contra votum paupertatis impingant; poterit procul dubio Titius sibi reservando, aut alicui sæculari dando proprietatis dominium, concedere alicui Religioso (etiam Franciscano, & strictissimam paupertatem observanti) usum liberum: vi cuius nomine alterius, qui sit verus pecuniæ dominus, possit illâ pecuniâ liberè uti, & in proprios usus convertere.

Et quidem in hoc secundo inconvenientia multa video, & in primo nullum: at tamen disparitatem nondum video. Et iudico Authores, si qui negant hãc secundam donationem factam privato Religioso probabiliter admitti posse, non respicere rationis paritatem, sed solùm instantiâ absurdorum & inconvenientium terreri: cùm tamen certum sit (ut in Theologiæ Fundamentalis *num.* 1150. uberiùs probavisse me memini) non solùm ex doctrinâ probabili, sed ex ipsiusmet puræ veritatis notitiâ magna interdum mala & inconvenientia suboriri.

Ergo respiciendo bonum publicum, & sinceritatem practicam Religionum, tu, si sæcularis sis, eiusmodi donationem nulli feceris Religioso privato: si privatus Religiosus sis, nunquam eiusmodi donationem acceptaveris: si Prælatus sis, nunquam illam in tuo monasterio permiseris: quidquid enim de probabilitate huius doctrinæ sit, aut non sit, opinionem laxam esse perniciosam certum est.

DE

DE TERTIO PRÆCEPTO.

XCII. *Aliter subditi & aliter Prælati iudicant.*

Aliud est loqui ex tripode, aliud è cathedrâ: multa privatus Religiosus debere fieri à Prælatis putavirem privatim examinans, quæ regimini admotus, omnia componens, & singula ex officio perscrutans, debere non fieri nunc iudico. Ut privatus Christianus imminui numerum festorum suadeo: & suggero me vidisse inconvenientia multa ex festorum multitudine aborta. *An festorũ numerus sit imminuendus?* Fortè ex festorum minutione plura & maiora exorirentur: hoc non scio. Teneo tamen quidquid Ecclesia fecerit aut disposuerit fore utilius est melius; Pontifici enim est Dei specialis assistentia promissa, ob quam singuli eius decreta venerari debemus. Ergo, quæ in Theologiâ Fundamentali à num. 1077. ad 1081. habeant vim libelli supplicis; & quia ab Urbano VIII. aliqualem festorum diminutionem impetrarunt, sic etiamnum favorem ab aliis sperent.

De Horis Canonicis.

XCIII.

Divinum officium ad hoc præceptum reducitur. Et ideò breviter de illius obligatione differamus.

Nõ omnes tenentur horas recitare ex iustitiâ.

Aliqui tenentur legere ex religione, aliqui ex iustitiâ: si daretur dignitas incompatibilis cũ horarum lectione, illam admittere posset, qui titulo religionis aut obedientiæ officium legeret: non autem, qui ex iustitiâ. Consultò dixi, *si daretur*, nullæ enim occupationes tantæ, ut satisfacere non possis officio divino, quoad substantiam. *An sit aliquis, qui non possit legere officium divinum?*

An iuniores religiosi recitare teneãtur?

Iuniores-ne nondum ad ordines maiores promoti tenentur ad officium divinum? Variæ sunt diversorum Ordinum leges, variæ fundationes, & institutiones. Eos obligari omnes aut ferè volunt. Esto. Sed cur? Hîc hærent. Ad consuetudinem recurrunt, quæ habet vim legis. Ego sic me expedio. In aliquibus Religionibus esse leges expressas, quæ obligent iuniores ad privatam lectionem certum est. In aliquibus esse leges etiam implicitas multorum annorum firmatas consuetudine, etiam est certum. Ergo in omnibus Religionibus Juniores tenebuntur sub *Consuetudinis vis.*

mortali. Per me ſtat: teneantur. [Hîc tamen obiter notandum eſt conſuetudines obligantes moraliter ſummâ cum difficultate defendi: niſi enim aut ad votum implicitum, aut ad præceptum implicitum reducantur, non obligant.]

An & cur obliget conſuetudo.

XCIV. *An officiũ aliquis mutare poſſit?*

DE mutatione officii duæ ſunt celebres in Scholâ ſententiæ. Aſſerit altera eum qui mutaret officium de tempore in officium de Sancto, aut contrà, peccaturum mortaliter: negat altera. Stando opinioni priori, qui ſemel loco alterius officii legeret de Reſurrectione peccaret mortaliter. At ſtando ſecundæ, non ita graviter peccaret, ſed venialiter tantùm, ſi hæc mutatio non habeat rationabilem cauſam; & nullo modo, ſi illam habeat. Quid ſi legat quotidie?

XCV. *An poſſit aliquis legere quotidie de reſurrectiõe?*

Non reſpondeo poſſe aliquem legere illud quotidie: ſed aio iſtã conſequentiam eſſe bonam *Si homo eſt animal, Petrus quotidie eſt animal.* Adeòque ſi admittatur ſecunda ſententia, non video quâ poſſit viâ Officium Reſurrectionis excludi. Duas rationes adducit Diana, quæ nõ placent. Eſt multo minus, ait, & illi diei ligatum. Prima non urget; nam Benedictini feriâ tertiâ & ſextâ minus habemus ſingulis ſeptimanis: Non ſecunda, quia omnia officia propria (de tempore aut de Sanctis ſint) ſunt diebus determinatis alligata, & tamen ſine mortali poſſe mutari dicuntur: & illud breve officium non eſt diei Reſurrectionis alligatum, nam Breviarium Bohemicum toto tempore Paſchali habet ad matutinas tres patyos Pſalmos. Ut id intelligas, periodos ſequentes ſubſcribo.

XCVI. *De Bohemiâ.*

Eſt Bohemia regnum latiſſimum & florentiſſimum: habuit magnum Sanctorum numerum, & tam devotum Clerum & populum, ut vix ſint dies viginti toto anno in quibus Officium ſit de feriâ. Fuerunt ante ducentos annos Eccleſiæ ditiſſimæ, & licèt à Zizchâ illæ ſuccenſæ, ſpoliatæ, deformatæ, paulatim reſtaurantur à poſteris: & licèt militaris potentia & inſolentia pleroſque erroribus Huſſiticis aut etiam Lutheranis infecerat, iam hodie à Ferdinando III. Invictiſſimo Imperatore & ab Erneſto Adalberto Archiepiſcopo Pragenſi: S.R.E. Cardinali ab Harrach (& quod cum maximo ſolamine dixerim, me tanquam eius Generali Vicario, Officiali, & Conſeſſûs Reformationis Præſide cooperante) militum & con-

Zizcha.

Vera Rhetorica.

concionatorum interventu (experientia enim docuit, quòd in Rhetorum Institutionibus non invenio, Orationes armatas esse aptissimas ad persuadendum) iam tandem ita est restituta, ut nulli omninò liceat esse hæreticum.

De Breviario Bohemico.

Regnum hoc amplissimum Christianissimumque habuit ab annis multis speciale Breviariũ, quo non solùm Ecclesiæ Metropolitanæ Canonici usi, sed etiam totus Clerus Bohemicus, imò etiam Sacerdotes exteri, qui in Bohemiâ figerent domicilium.

An expederet omnes uti breviario Romano?

Putant aliqui convenientius fore ut Rubricis antiquis omissis sese Clerus Bohemicus Rubricis Romanis attemperet: alii contrà ad Ecclesiæ pulchritudinem spectare opinantur, quòd sit varietate circumdata. Ab his esse videntur Theologi Societatis, qui magnâ curâ annis singulis Directoria ad veteres Rubricas publicant, & quia fortè continget, quòd Breviarium antiquum iterùm nõ recudatur, & tandem Clerus etiam iubeatur sequi communes aliarum provinciarũ Rubricas, ut saltem maneat Rituum antiquorum memoriâ, has lineas ex Directorio, quod anno hoc M.DC.LIII. Patres Societatis evulgarunt, & in ultimo folio posuerunt sub hoc titulo: *Observationes & Rubricæ quædam generales ex Breviario Bohemico pro ulteriori directione Officii tempore Paschali:* excerpo, & ob oculos Lectorum eruditionis gratiâ pono. Sic inquiunt.

NOtandum in Bohemiâ toto tempore Paschali: hoc est, à Dominicâ Resurrectionis, usque ad Dominicam Trinitatis exclusivè Officium dici more Paschali, h.e. cum tribus Psalmis & uno Nocturno, ut infra octavam Resurrectionis. Excepto quod Capitula, hymni & versus à Dominicâ in Albis resumantur. Porrò ut in orando servetur uniformitas, visum est ex Rubricis & praxi Breviarii Bohemici annotare sequentia. XCVII.

I. Circa Psalmos. In Officio feriali Psalmi sumuntur ex feria, sive ex Psalterio. Quia autem in Romano cuilibet feriæ assignãtur Psalmi 12. ii dividendi sunt in 4. ternarios, & unâ hebdomadâ recitetur primus ternarius illius feriæ, de quâ fit Officium: alterâ hebdomadâ alter ternarius eiusdem feriæ; & sic deinceps, usque dum omnes expleãtur. Quibus expletis rursus à primo incipiendum &c. Sic e.g.

si feria 2. infra Dominicam in Albis deberet Officium fieri de feriâ, dicendi essent primi 3. Psalmi feriæ 2. *Dominus illuminatio. Ad te Domine. Afferte.* Sequenti feriâ 2. *Exaltabo. In te Domine. Beati quorum, &c.* Par ratio est de aliis feriis.

II. Psalmi temp. Paschali uti in Romano, ita in Bohemico dicuntur sub una Antiphona, nisi aliter annotetur. Tamen in Antiphonis est differentia, quas suis locis annotavimus in Directorio. Similiter in Laudibus feriæ, Psalmi omnes sub unâ hâc Antiphonâ dicuntur: *quem quæris mulier alleluia: viventem cum mortuis alleluja.* Ita enim habet Rubrica: *Ad laudes omnes Psalmi sub unâ hâc Antiphonâ. Et sic fiat omni die feriali usq; ad Ascensionem Domini.*

III. In Dominicis occurrentibus intra tẽpus Paschale fit Officiũ ut in Dominica Resurrectionis, exceptis lectionibus propriis de homilia Dominicæ.

IV. Circa lectiones universaliter hoc notandũ ex Brev. Bohemico. In festis maioribus & duplicibus ferè semper leguntur 3. lectiones de homilia festi. Dixi *ferè*; quia aliquando datur libertas legendi de vita Sancti, ut advertere est in festo S. Sigismundi. In aliis autem festis minoribus, ut sunt semiduplicia, nisi habeant propriam homiliam, lectiones accipiuntur de vitâ Sancti, aut de Sermone aliquo 2. Nocturni ex communi. Sic enim habet Rubrica: *Tempore Paschali de Martyribus ad matutinum lectiones istæ* nimirùm: *Dignum & congruum, &c.* ex sermone S. Ambrosii *sive propriæ.*

V. Psalmi in festis accipiũtur ex quocunq; nocturno de communi Sanctorum, nisi assignentur in proprio, juxta sequentem Rubricam: *Tempore Paschali de Martyribus* (idem est de aliis) *Ad Nocturnum Antiph.* tristitia vestra alleluja: vertetur in gaudiũ alleluja; *Psalmi*; Beatus vir. Quare fremuerunt. Domine quid. *Sub una Antiph. vel de 2. vel 3. nocturno de Martyribus Psalmi recitentur sub eadem Antiphona jam scripta* versu lætamini, *vel alius secundi nocturni sive tertii.* Convenientiùs tamen videtur Psalmos, sicut & Responsoria nocturnorum ita distribuere, ut feria 2. & 5. legantur ex primo Nocturno: Feria 3. & 6. ex secundo Nocturno: Feria 4. & Sabbatho ex tertio Noctur. nisi aliter in proprio annotetur.

VI. Coronidis loco, quo magis observationem hactenus præscriptorum commendaremus, addere placuit partem Sermonis, qui est ad Clerum Bohemiæ & in fine Breviarii Bohemici vetustissimi reperitur, ubi inter alia hæc leguntur: *Ne cuipiam indifferenter pro libitu suo, & qualitercunque solvendi horas Canonicas daretur occasio; veneranda Patrum autoritas quemlibet Clerum astrinxit, ut in horis dicendis suæ Metropolitanæ Ecclesiæ se penitus conformet, & ritum ejus inviolabiliter imitetur, sub cujus alis obedienter fovetur. Quapropter innitēdo ad præsens ordinationi Pragensis Ecclesiæ (quæ à primordio suæ originis tam sanctis initiis fuit inchoata, ut quidquid in eâ hactenus manet constitutum, procul dubio Spiritus Sancti illustratione fuerit suggestum) præsens liber ad depromendas horas Canonicas proponitur cunctis in ipsa militantibus, ut quilibet secundùm hoc rectæ institutionis exemplar valeat Domino orationum suarum pensum dietim porrigere, & sine quovis scrupulo debitum servitutis obsequium hilariter persolvere. Audiant igitur prudentia suiipsorum innitentes, putà, qui aut pro inclinatione suâ, aut quâlibet superstitiosâ devotione, ea quæ stant optimè ordinata mutant, aliorsum concumulant, aut ad nutum suum detruncant. Auscultent quilibet advenæ & peregrini suas diœceses exeuntes, & in hâc nostrâ moram stabilem trahentes, quia ritui Ecclesiæ metropolitanæ deberent se omnifariàm conformare, non obstante, quòd rubricas aliunde approbatas sectentur; aut quòd in unitate fidei nihil officiat consuetudo Ecclesiæ diversa. Qualibet enim provincia in suo sensu abundat, & inconfusè prosequitur. Ad hæc omnia propensiùs revolvant dictum S. Hieronymi desinientis:* Ad quamcunque Ecclesiam veneris, eius ordinationes fac imiteris.

HUcusque Theologi Societatis in Officii Divini anno isto M.DC.LIII. in Bohemiâ legendi Directorio. Non ergo, ut Diana putat, trium lectionum Officium est unico diei Resurrectionis alligatum.

Rem fatear, in quæstione, quę interrogat, *An mutare Officium divinum, ita ut loco Officii de tempore legatur de Sancto, vel contra, sit peccatum mortale* (nam de veniali nō agitur, quæcumque enim mutatio, nisi eam fortè causa rationalis excuset veniali culpæ obnoxia est) mihi esser perinde habere alterutram opinionem: utraque enim est probabilis, & habet pro se rationes & Authores gravissimos. At, si deberem dicere cum Dianâ loco alterius Officii XCVIII.

non posse Officium de Resurrectione recitari, sequerer potiùs opinionem severam contra Dianam, & dicerem esse mortiferam uniuscuiusque Officii in aliud quodcumq; mutationem. *An materia habeat partes?* Hanc doctrinam exemplo clarissimo dilucido. Si quæras, An materia prima ex se an à quantitate habeat partes? Respondebo, quod placeat; est enim utrūque probabile. Sed, si velis supponi corpus Christi à quantitate habere partes, tunc putabo non posse Scoti sententiam defendi, sed debere omnes assertiones ita coaptari, ut universales non contradicant singularibus. Ergo, quia Diana contradictoria involvit, aut debes opinionem benignam universalem non tenere, aut admittere quidquid in singulari ex illâ opinione sequatur.

XCIX. *Corollaria.* Sanè, si non licet mutare unum Officium in alterum, neq; licebit Sacerdoti Sæculari aut Regulari uti alieno Breviario; sed tenebitur unusquisque sequi rubricas suæ diœcesis vel religionis. Si autem hæc diversarum Religionum Officia modaliter differre dicantur, omnes omninò tenent modi in præceptis mutationem mortiferi peccati non argui.

An unâ & eâdem Divini officii lectione poterit aliquis duorum dierum obligationi satisfacere? Respondi sæpè rationes non deesse pro alterutrâ parte: at communem & tenendam sententiam id posse fieri absolutè negare. *Vide num.* 80.

De Ieiunio.

C. *An aliqui jejunare teneantur?* TAm multi & ob tam leves causas à multis Authoribus doctis & bonis excusantur, ut nesciam, qui tandem rema su i sint ad jeiunia obligat. Omnia, quæ in Theologiâ fundamentali à num. 1126. proposui, ad̄s huc tibi relinquo, & tantùm cū casum decidendum assumo, quē num. 1128. proposui. *De Religiosis.* *Aio Religiosos strictè teneri ad ieiunium.* Cōtra obiectionem habeo solutionem clarissimam: quoniam, si aliquis dixerit. [Cantores excusantur à jeiunio: at Religiosi sunt cantores, (nulli enim sunt, qui plus cantent quàm Monachi) ergo & ipsi excusantur] *An & cur Cantores à jeiunio excusentur?* Respondebo distinguendo maiorem: excusantur ratione laboris nego, ratione conservandæ vocis, quæ ipsis est medium ut suum panem lucrentur, concedo; illi enim semel vocis amissâ suavitate pereunt fame. Et ad minorem descendendo, illam

etiam

etiam distinguam : & negabo Religiosos esse cantores quorum victus à vocis suavitate dependeat: sive enim suaviter cantent sive non, modò regulariter vivant, habent securum in refectorio locum, &c. Et sic negabo consequentiam.

His tamen non obstantibus, si panis alicuius communitatis penderet à devotione populi, & hæc manuteneretur Musicâ: Prudens Prælatus, qui haberet aliquem Religiosum voce excellenti præditum, posset necessitati suæ Communitatis consulere, utendo opinionibus, quibus potest uti Cantor quicumque sæcularis, ut privatæ indigentiæ succurrat.

DE QUARTO PRÆCEPTO.

CI. *An possit doctrina generalis præscribi?*

Difficillimum est hic ponere Regulas generales : nam quæcumque ponantur, etsi in multis legitimæ videantur esse, in aliquibus stringent contra omnium Theologorum sententiam, & in aliis contra omnium etiam sententiam relaxabunt.

Parẽs duplex: realis, moralis

Aio igitur parentem esse duplicem; realem, moralem. Et addo in Parentes, sicut in proximum committi posse quatuor scelera; videlicet, Fornicationem, Homicidium, Furtum, Mendacium. *Peccata in parentes.*

Incestus. Fornicatio eiusmodi est incestus: & hic Ecclesiâ declarante aut iubente extenditur ad quatuor gradus.

Est, qui occidit Parentem, Parricida: & eiusmodi homicidium etiam differt specie ab homicidio quocumque alio. Anne hæc malitia criminis ad fratrum aut cognatorum cædes extenditur?

Si fratrum commixtio est incestuosa ex naturâ rei, multum urget hîc paritas: si ex voluntate Ecclesiæ, paritas claudicat: in iis enim quæ à liberâ hominũ voluntate dependẽt, docti non argumentantur à pari.

CII. *Furtum.*

An furta filiorum à furtis aliorum distinguantur speciẽ?

Furari à parentibus secundum se consideratum videretur differre specie: hoc enim consequentia doctrinæ postularet. At sunt circumstantiæ diminuentes, quæ eiusmodi furta aut rejiciant in speciem communem, aut etiam illa faciant minùs gravia. Primò enim filii sunt hæredes, & hæredes non omninò aliena furantur, quia in radice aut etiam proximâ potentiâ sunt domini, & in hoc peccant quòd tempus præveniunt & ante diem illa, quorum erant futuri domini, parentibus invitis subripiunt. Secundò non ita sunt in-

An sint mi nº gravia?

inviti parentes, circa furta filiorum, ut illos putent velint-ve, ob eiusmodi furta esse infames: amant enim, & eorumdem exorbitantiis interdum condescendunt, si non voluntate integrâ, saltem ex parte. Furta ergo filiorum ex his duobus capitibus minùs sunt gravia quàm exterorum furta; &, si ratione harum diminuentium circumstantiarũ in confessione an sint filiorum explicetur, etiam erit satisfactũ legi illi, quæ jubet exponi singulas culparum circumstantias, quæ dant novam speciem.

CIII. An mẽtiri parẽti peccatum sit distinctum specie à cæteris mẽdaciis?

Pater interrogare filium potest ut proximus, potest ut pater; videlicèt res graves & necessarias ad regimen suæ Reipublicæ. Et hîc distinctio specifica clariùs relucet: qui enim privato homini mentitur, peccat venialiter; at, qui Regi, Principi, Iudici legitimè interroganti mentiretur, etiam præscindendo à iuramento, aliter peccaret, & aliter condemnaretur.

Nota hoc.

Hinc patet quartum Decalogi præceptum magnâ adhuc & magnorum hominum meditatione indigere, ut ad filum continuæ doctrinæ & consequentias securas reducatur.

DE QUINTO PRÆCEPTO.

CIV. De medicis.

PEccat mortaliter Medicus imperitus; cùm, quia decipiendo ægros indebitas pecunias extorquet: tùm, quia se exponit periculo occidendi illum, quem iuvare ex officio & contractu tenetur. Hoc est verum: & etiam verum est paucos esse Medicos doctos: ergo multorum graviter obstringi conscientias etiam est certum.

De defensione honoris.

CV. Considerentur singulæ circumstãtiæ.

SI Titium, Sacerdotem, aut etiam Sœcularem, Albericus infamat: perfidè nimirùm & iniustè: si verum sit Titii opinionem & authoritatem calumniis his graviter lædi (nam leves iacturæ capaces non sunt remedii gravis) si verbis non se possit defendere: si eum Respublica protegere & defendere nolit aut nequeat: & tandem, si suum honorem verè tueri possit occidendo Alberioum & non aliter: in tali inquam circumstantiarum concurrentiâ stando Iuri puro naturæ Titius Albericum occidere posset; & aliquando deberet, eo videlicet casu, quo debeat suum hono-

Qui acceptat legem

cedit iure sua libertatis honorem defendere: at stando Iuri Canonico & Cæsareo, & modò stando Iuri naturæ (qui enim admittunt & acceptant Iura humana, cedunt libertate Iuris naturæ, quam habebant) non poteſt. Ergo hodie abſolutè loquendo non poteſt.

CVI. Sanè hanc opinionem, etiamſi probabilis eſſet, eſſe pernitioſam Reipublicæ, dixi num. 1150. & etiam dico: at eamdem eſſe contra Ius Cæſareum & Pontificium, oſtendo. Omnia enim Iura Humana omnia interdicunt homicidia, excepto illo quod fit ob defenſionem propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ: quam ob rem Eminentiſſimi Domini, ut omnis tolleretur æquivocatio, ſententiam aſſerentem ob honoris defenſionem occidi, in Amico, aliàs viro docto, interdicunt.

De occiſione iniqui Iudicis, aut falſi teſtis.

CVII. ETiam ſtando Iuri nudo naturæ probabiliter defendi poſſet, innocentem, qui iniquitate corrupti Iudicis, aut falſo alicuius calumniatoris teſtimonio perire debet, ſe poſſe gladio tueri, & ſic invaſorem occidere. At *Reſolutio.* hæc ipſa ſententia, ubi lata & acceptata ſunt Humana Iura, locum non habet: ipſa enim eiuſmodi homicidia interdicunt, (nam interdicunt omnia, illo excepto quod fit ob defenſionẽ vitæ quando quis realiter invaditur) & qui eiuſmodi leges acceptant, liberè limitant privilegia naturæ, & cedunt Iure, ſiquod habebant tuendi ſe ferro contra invaſores morales. Et quidem in nullo tribunali admittetur, ut vera homicidii excuſatio, quòd occiſus teſtimonio falſo homicidam invaſerit: cùm quia id probare non poterit; tùm, quia talia homicidia Ius humanum non tolerat. *Nota hanc rationem.*

Si eſſem Iudex, & homicida aliquis ſe vellet hoc colore defendere, ſic arguerem. [Vel potes probare occiſum fuiſſe teſtẽ falſum, vel non. Si non, ſuccumbis, quia propriam innocentiam non probas: ſi ſic, ſuccumbis, quia innocentiam non habes: ſi enim probare poteras eius falſitatem, poteras illum in iudicio vincere, nec erat cur illum occideres.]

De Mortificatione.

IEiunia & maceratio carnis nõ abbreviant vitam: legimus enim plurimos heremitas ad annoſam ſenectam deveniſſe, ca- *CVIII. An vitam minuat? An ſit licita?*

ruisse morbis, professionis & cõversationis austeritate non obstante. Verum enim verò, si mortificationes vitam abbreviare dicantur, aio posse licitè assumi ut conscientia reddatur secura. An-ne posset in excessu peccari? considerato amore proprii corporis, quod omnes habent; & passionum vehementiâ, quam omnes experiuntur, vix crediderim aliquando in excessu peccari. Et tamen pronuncio te tutâ posse conscientiâ cõscientiæ tuæ securitatem tueri; &, si à proprio invadaris corpore, vim viretundere, & contra illud tãquam contra invasorem procedere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Audivi in Matutinis hodie hanc periodum *Cùm autem assidua ederet* (S. Theresia) *exempla virtutum tam anxio castigandi corporis desiderio æstuabat, ut quamvis secus suaderent morbi, quibus afflictabatur, corpus ciliciis, catenis, urticarum manipulis, aliisq; asperrimis flagellis sæpè cruciaret, & aliquando inter spinas volutaret, sic Deum alloqui solita,* Domine; aut pati, aut mori. *Se semper miserrimâ morte pereuntem existimans, quamdiù à cœlesti æternæ vitæ fonte abesset.* Ergo addiscimus duo: alterum unum è tribus accidere debere homini fragili: videlicet, aut pati, aut mori, aut peccare: ergo siquidem nec mori, nec peccare possumus, pati debemus: alterum non curandos morbos nec medicos, cùm agitur de pœnitentiâ.

Resolutio sumitur à S. Theresiâ.

Quid, si tentatio tanta sit, ut patiendo liberari non possis, & tibi ideò aut moriendum aut cedendum sit? Ride, quæso: Militamus sub bono Deo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Ergo respondeo casum esse impossibilem; & sine iniuriâ Dei possibilem dici non posse. Et, sic non dissolvo controversiam, sed tollo. Sed quid, si esset possibilis? Respondeo non esse absurdum, si ex præmissis absurdis absurdæ consequentiæ inferantur.

Nota id bene.

DE SEXTO PRÆCEPTO.

CIX.

SOl loca sordida illuminat, nec maculatur: & Theologi Soles sunt, sordesque ad hoc præceptum pertinentes dilucidant, nec tamen inde maculam contrahunt.

Peccata Luxuriæ alia sunt naturalia, & alia contra naturam. Naturalia sunt Fornicatio, Incestus, Adulterium, Stuprum, &c. Contra-naturalia Pollutio, Sodomia, Bestialitas, &c. adde Dæmoneitatem, quæ est à bestialitate

Luxuria duplex.

tate diversa. Adde & Sacrilegium, quod interdum alterutra peccata afficit.

De peccatis contra naturam.

CX. *An pollutio sit licita?* NOn datur casus in quo Pollutio licita sit: quæ de seminis corrupti emissione tactibus procurandâ, etsi inde sequatur aliqua veri & vivi seminis attractio, ab aliquibus dicuntur: si essent probabilia aut certa, essent perniciosa, & ad tollendum scandalum authoritate publicâ interdicenda. At quidquid de Authoribus sit, omnes enim veneror & nullum virum doctum contemno, eius fundamenta mihi non videntur probabilia. Dicunt in tali casu moveri semen mortuum & corruptum per se, & vivum moveri præter intentionem & per accidens. At longâ experientiâ instituti Medici & Chirurgi dicunt, semen mortuum secundum se esse immobile, & debere lanceolâ cùm maturuerit putrefactio aperiri, nec aliter posse, nimirùm cùm fuerit extra vias ordinarias. Dum autem intra illas sit, seminis vivi motu impelli, & moveri per accidens. Ergo, qui tactibus semen corruptum expelleret, vivum & incorruptum commoveret directè, ut id motu suo pelleret corruptum & mortuum.

De semine corrupto.

An & quomodo semē moveri possit?

Pollutio tactibus propriis procurata à procuratâ alienis tactibus differt ratione complicis. *De alienis tactibus.*

CXI. *Crimen infandum.* In Sodomiâ agere & pati esse eiusdem speciei dicunt aliqui: at inconsequenter; ea enim, quæ debent necessariò supponere, ut id defendant, non admittunt. At tu hæc duo, decidere semen cooperante altero, & cooperari ut alter illud decidat, in pollutione & crimine infando distingue.

Commiscere se cum Dæmone (horrendum scelus!) etiam à cæteris aliis distingue. *Dæmoneitas.*

Manet tactibus alienis procurata Pollutio & Sodomia. An distinctæ speciei? Nemo dixit probabilius esse, hæc duo peccata non distingui: Multi dicunt illa distingui, loquentes indefinitè & absolutè: multi probabiliùs distingui, adeòque probabiliter non distingui: aliqui, sed pauci, illa certò distingui. Et nos quid dicimus? *De Sodomiæ & Pollutionis distinctione.*

Sæculares & qui non studuerunt, non libenter audire illa nō distingui, immò contra Authores qui ea indistincta specie dicunt, insurgere: ergo latet aliquid, quod ipsamet natura, sibi *Resolutio.*

relicta indicit, quod contemni non debet. Ergo quidquid de speculatione & authoribus sit, ne molesti illiterati nobis sint, ne molesti illiteratis simus, accurate loquamur. *Sic inquam.*

An neutram habeo aut habui? Vidi & video pro probabilitate opinionis distinctionem negantis stare triginta Scriptores vel plures, stare Academiæ Pragēsis Facultatem Theologicam: pro certitudine eiusdem opinionis probabiliter stare S. Thomam: multi enim eum Authores pro hâc sententiâ citarunt. Vidi & video pro improbabilitate opinionis eiusdem stare laicos & unum aut alterum virum doctum cum illis, qui censuris gravibus & iniuriis etiam contrariam opinionem inurunt. Et quia tot Doctorum sententiam posse dici improbabilem non capio; & quia ab imperito vulgo iniuriis proscindi non volo, judicium suspendo, & quid dicendum sit de probabilitate aut improbabilitate alterius-utrius opinionis aliis iudicandum relinquo. Interim, quidquid de Scholâ sit, & probabilitate, hanc practicam Conclusionem subscribo. *Distinguuntur specie*: quam unicam doceo & propugno.

De materiâ parvâ.

CXII. *An in re venereâ reperiatur?*

UBi maximè videntur differre, conveniunt Authores, ut puto: qui enim in re venereâ materiæ parvitatem reperiunt, illam considerant præcisam ab omni periculo: &, qui dicunt nullum esse plenum consensum in hâc materiâ, quin peccatum mortale sit, & ipsi considerant in sensu composito actum ipsum quem alii dicunt levem & grave illi adnexum periculum. Et quis quæso negare poterit se temerè exponere graviter peccandi periculo, etsi peccatum illud non sequatur per accidens [considera singula verba] non esse peccatum mortale? An semper dabitur tam summum peccandi periculum? Quæstio est de facto, & in re occultâ obscurâque, de quâ singuli, prout experientiâ didicerint, & multorum auditæ confessiones docuerint, poterunt iudicare. *De periculo.*

DE SEPTIMO PRÆCEPTO.

CXIII. Cùm quæritur, quanta sit materia sufficiens ad peccatum mortale? movetur difficillima quæstio; nam, si ad quantitatem absolutam recurras, eam fortè adsignabis, quæ apud Reges & Prin-

Principes sit nihili: &, si ad relativam, labyrintum aperies, è quo non facili negotio emerges. Hâc ob rem in hâc ego mater â aliorum potiùs soleo recensere sententias, quàm exponere propriam, videtur enim incapax, ut de coloribus judicet, qui colores non videt: & ut de rebus temporalibus, qui universas contemnit.

De Mutuo.

CXIV. Resolutio.

PRo pecuniâ aut aliâ quâcumque re, quæ mutuò datur, nihil potest recipi præter sortem. Hoc certum est & à nemine negari potest.

An non sunt hîc oppositæ Theologorum sententiæ? Videntur esse: at, si res benè examinetur, est summa connexio & concordia. Ut rem intelligas, scias Mutuum posse duobus modis considerari: nimirùm, secundum suam naturam ab omni extrinsecâ circumstantiâ præcisum: & habẽs adnexas circumstantias nonnullas, & inter eas præcipuè periculum perdendæ sortis, damnum emergens, lucrum cessans, &c. Et propter has circumstantias posse aliquid supra sortem adquiri certum est.

Duplex Mutui cõsideratio.

Scio mercatores interdum nimis laxare canones, & harum circumstantiarum pretia; sed hi venirent excessus corrigendi, nõ autem doctrina, quâ illi abutuntur, condemnanda. Et ratio fundamentalis est, Quia habeo ius, ut reddar indemnis, cùm tibi servio & faveo. Et damnum probabile, si magnum sit, possum vendere pro certâ pecuniâ, quæ parva sit, stando prudentium iudicio & communi hominum æstimationi.

De Campsoribus & mercatoribus.

De occultâ compensatione.

CXV. Est perniciosa.

STando nudo iuri naturæ iusta esset; at hodie, ut de homicidio dictum, cessimus iure illo, quod parens natura concesserat, cùm leges humanas admisimus: hæ enim eiusmodi occultas cõpensationes non admittunt.

Si essem Iudex, uterer eo dilemmate, quo superiùs, cùm resolvebam testem falsum, iniquũ iudicem, &c. licitè occidi non posse. Arguerem sic. [Vel potes probare illud, quod subripuisti, tibi deberi, vel non potes. Si non potes, succumbis, quia innocentiam tuam probare non potes, & est iam probata rei alienæ subreptio. Si potes, succumbis, quia innocentiam non habes reo enim casu, quo iuridicè procedere posses & debitorem cogere ut tibi solveret, non dicunt

Hoc dilemma clariùs urget in homicidio.

cunt Authores, quod potes illum privatâ authoritate spoliare, & recuperare quæ tua sunt.]

DE OCTAVO PRÆCEPTO.

CXVI. OMne mendacium est peccatum; &, si Deus adducatur in testem, periurium.

De Restrictionibus mentalib⁹. Restrictiones purè mentales, qui admiserit, iste humanam omnem fidem sustulerit. At restrictiones ipsæ non possunt negari; dantur enim consignificantes circumstantiæ quæ verba ad magis determinatam significationem restringunt. Hæc verba, *In fornicationem lapsus sum.* Secundum se considerata valdè sunt generica, & possunt de simplici fornicatione & de sacrilegâ aut etiam de adulterio explicari. At ipsa dicta à Religioso, per ipsas vestes restringuntur, ut & sacrilegium significent. Omnis ergo verborum restrictio debet esse extrinseca, & à circumstantiis determinantibus & consignificantibus.

DE NONO ET DECIMO PRÆCEPTO.

VIderentur in prioribus claudi: Ego viam specialem ingressus illa distinguo, &, ut experior, commodè. Vide Theologiam Fundamentalem Capite VI. Fundament. 63. à num. 1283. ad finem Capitis. CXVII.



CAPUT

CAPVT VII.
DE SACRAMENTIS.

CXVIII. *Monitum.*



OMnis in hâc materiâ error summè est periculosus: & hâc ob rem invigilare debent Episcopi ut in administratione Sacramentorum semper, quantum fieri possit, doctrinâ certâ omnes utantur.

De Baptismo.

An sufficiat ablutio moralis?

AQua debet esse naturalis: & qui verba pronunciat debet abluere infantem physicè, nec sufficit si abluat per ministrum moraliter.

De Confirmatione.

CXIX. *An balsamum periculis?*

MInister Ordinarius est Episcopus. Chrisma non indiget essentialiter balsamo. Hanc ob rem eorum opinio, quæ docet balsamum hodie non inveniri, vera aut falsa sit, non militat contra hoc Sacramentum.

De Pœnitentiâ.

SUfficit attritio cum Sacramento. Circumstantiæ aggravantes non sunt necessariò in confessione aperiendæ, possunt tamen. Exponi debent circumstantiæ addentes novam peccato speciem. Interdum specificæ sunt, quæ aggravantes videntur. Peccatorum reservatio est utilis, aut etiam necessaria aliquando. Debet ita fieri ut maneat secretum illæsum. Probabilis est sententia, quæ docet Catholicum moribundum sensibus destitutum, qui nullum signum doloris dedit, posse absolvi, saltem sub conditione. Talis moribundus est in extremâ necessitate constitutus, & qui eum iuvare potest,

CXX. *Nota singula.*

De absolutiōe moribundi.

test, etiam debet. Melior est absolutio probabilis, quàm nulla.

De probabilibus & dubiis peccatis. Peccata probabilia, nempè quæ probabiliter putas te commisisse, poteris confiteri: & quia probabiliter putare poteris te eadem non commisisse, poteris omittere. Idem à fortiori de dubiis dicendum: maior enim est notitia probabilis, quàm dubia.

De Eucharistiâ.

CXXI. De ieiunio naturali. QUi illam sumat, debet esse ieiunus: & qui vel parum comederit aut biberit, & tamen communicet irreverentiæ gravis est reus, & peccabit mortaliter.

De materiâ. Panis debet esse triticeus, vinum de vite: panis artificialis aut vinum artificiale consecrari non potest. Vinum congelatum potest.

De actuũ repetitione. Nemo sine speciali licentiâ potest, aut bis communicare aut celebrare.

De Extremâ Vnctione.

CXXII. An prosit corpori? PRodest animo & corpori, & suadendum, ut tempestivè recipiatur. Obierunt multi, qui si tempestivè hoc sacramentum recepissent, supervixissent. Non ergo debemus illud horrere, sed desiderare. Assumptum probo. Dum ægrotat aliquis, est morbi & naturæ conflictus; & si hæc superatur, homo moritur. Dantur ergo pharmaca ut hæc juvetur: quæ, si serò adhibentur, non prosunt. Ponamus ergo virtutem sanativam à Christo unctioni concessam esse ut 4. morbus sit ut septem, vires ægrotantis ut quinque. Ergo in tali casu, si æger recipiat extremam unctionem, supervivet, & si non recipiat eam, devivet.

De Ordine.

CXXIII. ESt Sacramentum novæ legis, vi cuius aliqui ad ministerium divinum spirituali potestate traditâ deputantur. De illo uberiùs in Hierarchiâ Ecclesiasticâ disputo, nec est cur hîc eadem repetam.

De Matrimonio.

CXXIV. De impedimentis Matrimonii. MAtrimonium Iudæorum & Ethnicorum non est sacramentum: & in hoc possunt Reges & Principes ponere impedimenta inhibentia & dirimentia.

Matri-

Matrimonium Catholicorum est Sacramentum: & post elevationem hanc institutam à Christo pertinet ad Ecclesiam inhibentia aut dirimentia impedimenta ponere, & in ipsis data occasione dispensare:

De Sacramentalibus.

CXXV. *Quid sint?* SActramentalia sunt quædam Sacramentorum umbræ ab Ecclesiâ institutæ ad similitudinem Sacramentorum, quæ non sunt meræ ceremoniæ, sed & conferunt gratiam. Sed quomodo? Authores differunt: omnia distinctè Part. I. Theologiæ Fundamentalis posui & exposui.



M LECTU-




LECTVRO.



Præter Quæstiones illas, quas Prior Theologiæ Fundamentalis pars exhibuit, nonnullas alias utiles & curiosas Amicis dissolvendas proposui, inter quas una, quæ de circumstantiarum aggravantium & mutantium speciem consideratione, designatione, & distinctione dubitat disputatq́ꝫ, Magnorum Hominum favorem meruit; illam hanc ob causam repono, & illustrium Doctorum Decisiones adjungo. Sed quo illas ordine? quo easdem recepi, nullo alio.




QUÆSTIO



QUÆSTIO NOVA ET CURIOSA.

De Circumstantiis aggravantibus, & mutantibus speciem.



O*Portere de moralibus moraliter Philosophari sicut de realibus realiter*, tota Moralis Theologia, & Sacramentalis specialiter suadet ; in hoc enim differt ab ente rationis Moralitas, quod hæc habeat fundamentum in re, quo illud caret: unde, si in expositione alicujus Entis Moralis vel unicam formalitatem sine fundamento posuero, ab aëre pendebit ea formalitas, & censui Entium rationis & non Moralitatum debebitur. Si igitur Moralia omnia à Realibus fundamentis dependent, analogia & paritas servanda est. Ergo acturi de numero & specie Peccatorum, aliquid de numero & specie realium Entitatum dicamus.

Porrò Genera adæquata, Differētias adæquatas, Species adæquatas, & Individua adæquata universi cognoscimus: & ideò nemini videbitur mirum, si in vitiorum, aut etiam Virtutum actibus, Genera, Species, Differentias, & Individua adæquata ponamus. Vlteriùs me propellit scrupulus, hæc enim, quæ hucùsque diximus, certa sunt, & quæ

ſupponi debeant, & in dubium reduci non poſſint.

Arriaga *diſp.8. Logicæ ſect. 1. ſubſect 2. num.9. & 10.* admittit genera & differentias, (ergo etiam ſpecies) inadæquatas. Conſonat Oviedus diſtinguens Petrum à Paulo numero; Petrum à Bucephalo (equi Alexandri nomen eſt) ſpecie: Petrum à Joannâ, plùs quàm numero, & minùs quàm ſpecie: & ut ipſe loquitur, ſpecie inadæquatâ. Conſonat etiam Thomas Comptonus *diſp. 5. de anim. ſect.3. num.5.* probabile judicans, magis differre animas viri & fœminæ, quàm animas duorum virorum. [Probabile id, inquã judicat; quia contrarium judicat probabilius.] Sed clariùs, *diſp.4. de anim. ſect 1. num 4.* affirmans partes formæ viventis equi eſſe heterogeneas, ſeu inter ſe diſſimiles & ſpecie incompletâ diverſas, & citat pro hac ſententiâ Joannem Andream, Paulum Venetum, Niphũ, Suarium, Rubium, Murciam, Hurtadum.

Hæc de formalitate inter Individuum & ſpeciem mediâ: dicam aliquid de mediâ inter unitatem & numerũ. Poſitâ probabili ſententiâ aſſerẽte eamdem materiam poſſe (ſaltem divinitùs) informari pluribus formis, & eamdem formam poſſe plures informare materias: homo, qui haberet unum corpus & duas animas, aut etiam duo corpora & unam animam, eſſet plus quàm unicus homo, minus quàm duo: ergo eſſet realitas quædam inter unitatem & binarium media.

His poſitis ſuppono tanquam certum neminem teneri in confeſſione aperire alias circumſtantias culparum, quàm illas, quæ vel mutant numerum vel ſpeciem. Eſt definita ut exiſtimo, hæc veritas à Concilio Tridentino *Seſſ.14. cap.5.* docen-

cente Catholicos, quo debeant modo confiteri, & dicente, *eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant*, & addente, *Nihil aliud ab Ecclesiâ à pœnitentibus exigitur, &c.* Si nihil aliud exigitur; nō ergo exigitur ut circumstantias aggravantes explicent. Hanc sententiam hodie tuentur omnes aut ferè Theologi boni nominis: quorum multos producit Diana, *1.part.tract.7. resol.2. & 3.part.tract.4.resol.67.* & sæpè alibi.

His ergo præmissis, *Quæro primò*, An dentur in peccatis circumstantiæ, quæ addant speciem incompletam? Et, si dicas non dari, Quæro cur non possint reperiri inadæquatæ species in moralitatibus, siquidem moralia simillima realibus sunt, & illæ (species inadæquatæ) in realitatibus reperiuntur, ut vidimus? Si verò dicas inadæquatas has species etiam in Morali Theologiâ reperiri, postulo exēpla, quibus possim hanc doctrinam intelligere & dilucidare. Et, si meliora non occurrant, interrogo, An contumeliæ prolatæ contra Deum, & contra Sanctos sint ejusdem speciei? Et dū asserit Reginaldus *tom.2.lib. 24.cap.5.num.102.* & negat Zanardus & Sanctarellus, *tract.de blasphemiâ cap.4. dub. 2.num 5.* an non posset aliquis inire mediam viam & docere illas distingui inadæquatâ, nō autem adæquatâ specie; & hoc modo differentes Authores ad concordiam reducere? Si dentur in moralitatibus inadæquatæ & incompletæ species, *Quæro secundò*, an debeant in confessione exponi? quod est quærere, an illa verba Concilii Tridentini, videlicet, *Eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant*, intelligenda sint de specie

completa tantummodò, an verò de alterutra? Et quidē duo sunt, propter quæ non videtur egisse Concilium de incompleta: *Primum*, nam ubi lex habet duos sensus, benignior usurpari potest & solet, nec aliquis admittere severiorem tenetur: & ubi Canon habet duos sensus, non erit Hæreticus, qui alterum alteri præferat: nam ab eodem Concilio definitur, unicam esse causam nostræ justificationis; & quia unitas est duplex; moralis, realisq;, alii illud Authores de reali, & alii de morali intelligunt: & omnes procedunt probabiliter. *Secundum*, quia voces accipiendæ sunt ea significatione, qua proferuntur: at Patres noluerunt agere de specie incompleta illa die: ergo nos non debemus illud nomen *species*, accipere pro specie incompleta. Probatur minor, quia nihil volitū, quin præcognitum: at Patres nō cognoscebant species incōpletas: ergo. Minorem probo: Quia specierum completarum & incompletarū distinctio videtur Concilio Tridentino recentior: non enim apud antiquos reperitur: vel dato veteres Theologos aut Philosophos, qui de speciebus inadæquatis & completis disputaverint.

Præter Species Adæquatas & Inadæquatas etiam Logicæ & Physicæ Species apud Scholasticos Scriptores occurrunt: nam, si quæras, An quæcumque differētia essentialis inter duo individua sit specifica, an ad distinctionem specificam, nō quæcunque sufficiat, sed magna & valdè notanda requiratur? Videbis dissentientes Theologos, & Thomam Comptonum *disp. 5. de Anim. sect. 3. num. 2.* dicentem. [Videtur posse lis decidi inter has duas sententias, si dicatur quamcumque dif-

differentiam & dissimilitudinem inter aliqua duo, quâ possit reperiri minor, esse aliquo modo specificam, saltem logicè, cùm de ratione ab his abstracta verificetur definitio Speciei tradita à Porphyrio, & à Dialecticis communiter recepta; nempè, *esse prædicabile de pluribus differentibus numero in quid.* Ad differentiam autem specificam cõstituendam physicè & moraliter major requiri videtur dissimilitudo, quàm quævis minima discrepantia, qualis est inter duas uniones aut visiones Petri & Pauli; talis nimirùm qualis est inter equum & leonem, ac res hujusmodi notabiliter diversas.] Ecce visio, quâ videtur Petrus, plus differt à visione, qua videtur Paulus, quàm ab altera visione qua videtur idem Petrus: & tamen Comptonus, licèt concedat distingui specie logica, negat illas distingui morali & physica. Et ego his positis *inquiro tertiò*, an eadem sit divisio Distinctionis specificæ in Incompletam & Completam, ac in Logicam & Moralem? Et, si sit: unde hæc coincidentia colligatur. Et, si non sit: An in Morali Theologia reperire circumstantias poterimus, quæ addant Logicam speciem peccatis, & non Physicam seu Moralem? Et, si non reperiantur, cur illæ non possint reperiri? Et, si reperiantur, postulo, ut illæ ponantur ob oculos, & exemplis claris dilucidentur. Et ad verba Tridentini revertens, *quæro quartò*, An non solùm teneatur pœnitens in confessione aperire circumstantias addẽtes speciem Physicam seu Moralem, sed etiam addentes Logicam seu Metaphysicam.

Et tandem convertens oculos ad Geryones, Antæos, & alios multicorpores, aut multianimos homines, quos

quos DEVS condere potest, aut etiam condidit, si carminibus creditur, *quæro quintò.* An sit possibile peccatum, quod habeat unicã materiam moralem & duas malitias seu formas distinctas puro numero? aut etiã contrà; nempè peccatum, quod habeat duas materias morales distinctas puro numero, & unicam tantùm malitiam seu peccaminositatem pro formali? Si negas: cur has moralitates neges, intelligere volo; suppono enim utrumque in realibus esse possibile. Si asseras, exẽpla desidero, ut mentem tuã assequi & comprehendere possim. Et, si alia meliora nõ occurrant, hæc examinanda propono. [Petrus unico volũtatis actu occidere voluit quatuor homines: & modò ad se reversus doceri vult, quo peccaverit modo? & quo teneatur confiteri?] Multi cum Vazquez *3.part tom.4.quæst 91.art.10.dubio 4. num.8.* & Bonacina *de Sacram. disp.5. quæst.5. sect.2. punct.2.§3.diff.3.num.16.* existimãt quatuor illum commisisse peccata: adeòque debere hanc in confessione circumstantiam exponere. Suarius *in 3.part.tom.4.disp. 22.sect.5.num 35.* & alii tenent Petrum unicum commisisse peccatum: debere tamen circumstantiam objecti aperire in confessione, quia est notabiliter aggravans. [At benè notat Vazquez positâ opinione Suarezii, non teneri hanc objecti circumstantiam in confessione aperiri: quoniam circumstantiarum aggravãtium apertio non est de essentiâ confessionis.] Annon, dum alii intentionem occidendi quatuor viros, quatuor esse peccata, & alii unicum esse peccatum eruditè contendunt, possemus nos asserere esse unicũ peccatum quadriforme, dicens pro materiali unicam solam voli-

volitionem, & pro formali quatuor objecta, adeòque quatuor malitias & peccaminositates puro distinctas numero? Sed si philosophemur hoc modo, quo Petrus debebit confiteri?

Ut formam plures materias informantem ad mores reducam produco Fridericum sæpè pugnantem cum procis (actiones sunt distinctæ numero) sæpè munera & minas (actiones sunt specie distinctæ) obloquētem; & omnia hæc, ut potiatur Antonia: ergo omnes hæ actiones qualescumque illæ sint finis malitia informantur. Ergo si essent omnes aliàs indifferentes, essent propter istam finis malitiam omnes malæ. An-ne plura peccata? An-ne in confessione mediorum indifferentium, quæ ad finem malum sunt, pluralitas est explicanda?

Et ut hæc ipsa meliùs & profundiùs intelligam, *quæro sextò*, quo debeat confiteri modo Theopompus, qui Fridericum, unico corpore & unica anima; Geryonem, tribus corporibus & una anima: & Antæum, uno corpore & animabus multis præditum interemerat? An satisfaceret, si diceret, *Tres homines occidi?* Et si hoc satisfaceret modo, An etiam, si in aliis generibus peccata committeret, quæ vel in eadem morali materia habeāt plures malitias distinctas puro numero: aut unicam malitiam in pluribus materiis moralibus.

Et quia materiæ similitudo huc provocat, producam notabile monstrum, cujus consideratio huic possit controversiæ servire. De illo multi Historiographi: imò etiam Scholastici: & breviter & accuratè P. Andreas Capittel disputatione de origine omnium rerum Dilingæ anno 1619. propugnata sic inquit. [Monstrū

N fuit

fuit in Scotiâ, circa annum 1490. inferiori corporis parte ſpecie maris, nihil à communi hominum formâ diſcrepans: umbilicum verò ſupra trunco corpore reliquiſque omnibus membris geminis, & ad uſum & ſpeciem diſcretis: Quod Jacobus IV. Scotiæ Rex, Mariæ Stuartæ glorioſiſſimæ Martyris avus, educandum & diligenter erudiendum curavit, & maximè in muſicis: quâ in re mirabiliter profecit: quin & varias linguas didicit & variis voluntatibus duo corpora ſecum diſcordia & litigioſa diſcutiebat, cùm aliud alii placeret: interim velut in commune conſultabant. Cùm ſuperiore parte pungeretur læderetur-ve, ad alterum tantū corpus, quod lædebatur, ſenſus pertinebat; cùm infernè, ad utrumque. Tādem cùm annos *XXVIII.* vixiſſet, & corpus alterum complures ante alterum dies extinctum fuiſſet, ſuperſtes dimidio ſui putreſcente paulatim & ipſum contabuit.] Sic ille.

Et ego monſtrum hoc attentè conſiderans *inquiro ſeptimò*, An non ejus inferior pars à duabus ſimul animabus fuerit informata? Et, ſi fuiſſe dicatur, An non ſolo hoc ariete diruatur Phyſica Thomiſtarum? Et, ſi non fuiſſe dicas, exponas quæſo, Quo poterat modo uterq; dolorem ſentire, quando lædebatur infernè? Et, ſi membra inferiora erant cōmunia, *quæro octavò*, An alter potuerit laſcivire, altero nec laſciviente, nec peccante? *nonò*; An alter vovere caſtitatem potuerit, aut uxorē ducere altero invito? *decimò*, An hoc monſtrum fuerit unus homo biformis? An duo homines, an potiùs ſeſquihomo? & quo peccaſſet modo, aut quo debuiſſet confiteri, qui alteram monſtri partem occidiſſet: Quo; qui

qui utramq; ? *undecimò*, si illæ duæ voluntates diversis moribus fuissent imbutæ (imò & fuisse de facto alibi legisse me memini) *quæro duodecimò*, quid fieret de isto monstro, si altera pars moreretur in gratiâ, & altera in peccato mortali? Altera anima, inquies, coronaretur cœlitùs, & altera æternis ignibus addiceretur. Esto. Sed quid fieret post resurrectionem de illâ inferioris corporis parte, quam à duabus simul animabus informari putamus? Vtram illa animã (fœlicem, an infœlicem) sequeretur ? An fortè utramque, & speciali miraculo in cœlo & orco replicaretur?

Hinc ad Moralia veniẽs, subdubitare incipio, An nõ possint reperiri, aut fortè de facto reperiantur actus aliqui humani huic monstro similes? Si altera Anima salvaretur & altera condemnaretur, materia inferior (eadẽ eadem) esset simul supplicio & gloriâ digna: & ideò *quæro tertiò-decimò*. An possit unus & idem actus esse simul meritorius & peccaminosus? An actus amoris supernaturalis secundum communem cursum rerum alicujus levis deordinationis sit capax? An præter communem rerum cursum capax etiam sit deordinationis gravis & mortaliter peccaminosæ?

Et quia idea physica, quæ me impræsentiarùm manu ducit, ut videbamus, monstrum est, *quartò decimò inquiro*, an etiam in actibus humanis sint monstra? &, si sint, an omnia sint peccaminosa: an fortè possit aliquis cõtra morales humanarum actuum conformatrices leges peccare, quin dicatur peccare contra legem divinam? &, ut omnia & singula meliùs intelligantur, exempla postulo, quibus monstrosæ moralitates probentur & dilucidentur; regulas,

quæ nos doceant, quo debeant modo in confessione monstrosa peccata explicari: tenentur enim homines species culparum exponere, & mõstra ad nullam speciem spectant.

Hæc sunt (Eximie & Ingeniose Lector: non enim aliis, quàm ingeniosis & eruditis hæc scripsi) quatuordecim subtilissima dubia, quæ à nullo, quem viderim, Doctore tacta, egere examine, illustratione, & resolutione videntur. Tuum erit illa singulatim dissolvere; & dissolvendo illa, Decisionem Decisioni summâ doctrinæ consequentia alligare: & solvendo & ligando, Moralem Theologiam, hoc ævo ab aliis ad summam perfectionem evectam, ulteriùs & eminentiùs promovere.



EPISTO-

EPISTOLA I.

Illustrißimo & Reverendißimo D. D. Claudio libero Baroni à Sorinâ, &c. in Olomucensi Episcopatu Officiali, nec non Vicario generali: &c. Ioann. Caramuel S. P. D.

Illustrissime & Reverendiss. D.



UBi dubitare te vidi, & velle alios consulere, te esse Virum doctum asserui: qui enim pauca vel nulla sciunt, sibi confidunt, & neminem consulere volunt; cùm tamen contrà Eminentes Doctores semper consulant mortuos vivosq; ut libris & epistolis lectis illud eligāt, quod iudicēt securius & melius. Laudo igitur Illustrissime Vir eruditionem tuam, laudo modestiam: electionē non laudo. Alii erant, qui potiùs consuli potuissent. Interim, ut obediā, Quæstionem illam tuā, *An scilicet Novitii validè & licitè promoveātur ad ordines?* &, *vtrùm, si exire, aut dimitti contingat, itērū debeant ordinari?* juxta praxim quā habeo, Authores quos lego, & Doctores quibuscū Scholastica tracto, decido. Et quia desidero, ut nostra amicitia sit erudita & utilis, aliam Controversiam propono, videlicet, *An-ne dentur in moribus species incompletæ & inadæquatæ? &, si dentur, an debeant in confessione sacramentali aperiri circumstantiæ, quæ addunt speciem incompletam & inadæquatam?* Est nova quidem Controversia, at summè utilis, & quæ consequentias plurimas parere possit. Eam uberiùs in schedio his adiuncto propono, & rescire tuam sententiam desidero. Erit igitur tuum, Illustrissime & Doctissime Vir, me Tuis literis honorare & iuvare: & quia alia negotia non succurrunt, pono calamum, orans Dominum Deum, ut Te Olomucensi Episcopatui conservet salvum incolumemque pluribus annis. Vale.

EPISTOLA II.

Eiuſdem Illuſtriſsimi & Reverendiſsimi D.D. Claudii Liberi Baronis à Sorinâ, &c. in Olomucenſi Epiſcopatu Officialis, nec non Vicarii Generalis, &c.

Reverendiſſime & perilluſtris Domine, magna obſervantia mihi colende.



IHi lecto ob Roſipilam, (quam ego experior & voco doloroſam) in tibiâ ſiniſtrâ adfixo reddebantur jucundiſſimæ & literæ, & verè curioſæ quæſtiones: quæ nō niſi à ſubtilitate ingenii, à quo conceptæ ſunt, benè ſolvi poſſunt. Non ut illas diſſolvi à me poſſe putem, ſed ut oſtendam me magnifacere, Rev^mæ. & Illuſtr. D.V. cui alias ob reſponſum ad meam quæſtionem circa Novitios datum gratias ago, mitto qualemcumque reſponſionem, non ſolutionem: & ex Cancellariâ hâc Epiſcopali favorem adhuc ipſius implorare permaneo, &c. Dat. Olomucii 12. Febr. 1653.

QVÆSTIONIS RESOLVTIO.



D Quæſtionem hāc nō minùs novam & curioſam, quàm verè eruditā & ſubtilē reſponſurus, quanquam eius reſolutio ad Theologum Moralem potiùs quàm Philoſophum pertineat, cum tamen etiam nonnihil Philoſophiæ affinis ſit, mediâ quâdam viâ incedendum arbitratus, ubi ad quæſtiunculas tātum ad Theologum moralem ſpectantes fuerit deventum, in ſuppoſitis quibusdam perecturus ſum, ut, ſi ea vera ſint, vera ſint etiam

etiam quæ inde deducuntur. An tamen ea vera sint, ut Philosophus examinare non intendo.

Prima ergo quæstio sic sonat. In physicis dantur species inadæquatæ, quæritur ergo an etiam in actibus humanis? Ad quam pro tenuitate Ingenii mei, Resp. admittendo dari in physicis tales species, quamvis ex à citatis Authoribus non probentur. Nulla enim necessitas animam viri à fœminæ animâ, aut partes animarum brutalium plusquam numericè distingui cogit, non operationes, quia illarum diversitas in animam eiusdem rationis, (sicut in eodem Petro) in diversis organis aliter ac aliter operantem, refundi potest.

Addo doctrinam hanc de diversis viri & fœminæ animabus, aliunde positivè refutari; refert enim Ingeniosus quidam recentior sibi constare, fœminam quandam in Virum fuisse immutatam: quo posito sic argumentor. Vel tunc successit alia anima vel eadem remansit: successisse aliâ dicere durum est propter multa absurda tum in Philosophiâ tum etiam fortè in Theologiâ, ergo remansit; si ergo hîc sit eadem viri & fœminæ, cur alibi à potiori non sit eiusdem omninò speciei.

Per parenthesin quæri posset, quid agere debuisset homo hic, si Vota in Religione emisisset, vel quid si in Matrimonio vixisset?

Jam ergo ad formam reversus, admitto dari in physicis species inadæquatas seu incompletas. Illæ enim sunt, nisi quæstionem de nomine faciamus, species habentes prædicatum differentiale, vix notabiliter diversum, tales dantur; ergo dantur species incompletæ. Has dicerem esse v. g. Anates siluestres respectû domesticarû, harum etenim naturæ diversæ sunt non notabiliter, ergo.

Unde hoc supposito, admitto itidem in actibus humanis tales specierum inadæquationes, & circumstantias eas constituentes, brev. Dantur circûstantiæ, quæ addunt aliquam vix notabilem differentiam, ergo quæ constituent species inadæquatas. Tales species inadæquatæ sunt, blasphemia contra Dei Iustitiam, & blasphemia contra eiusdem Misericordiam.

Ad secundam quæst.: An vi Concilii docentis, quod species peccatorum explicandæ sint, confitens etiam inadæquatas exponere teneatur? Resp. negativè, ut eam ipsam assertionem benè probat ipse Author; Probari item potest ex eo, quia alioquin

quin Cōcilium præcepisset rem valdè difficilem, & Intellectui paulò hebetiori quasi impossibilé, cum quęvis minutissima sufficiat ad eam constituendam differentia, quod dicere durum videtur.

Ad quæstionem 3. Vbi quæritur, An species Logica cum incompletâ, & Completa cum physicâ & Morali coincidant, Resp.1. Logicam speciem cum incompletâ esse idem, solùm in eo differre quòd incompleta præterea negationem magnæ differentiæ involvat, sicut tres tantùm habere aureos, est habere 3. aureos & nihil ampliùs, ita differre specie completâ est differre parum tantum & non ampliùs. *Cōpleta species* ut dixi, est ea quæ notabilem invehit differentiam, præscindendo an inter rerum entitates physicas vel in genere moris comparatas, *Physica* quæ notabilem in genere Entis infert rerum inter se distantiam. Ly *Moralis* duplicem sensum habet, in primo enim est idem ac *Notabilis* & sic nihil differt à *specie Completa*: Sensus secundus est ut sumitur pro eâ specie, quæ notabilem rerum in genere moris inter se comparatarum distinctionem & differentiam importat. An autem hoc coincidere sit? quæstio est de nomine, rem enim jam explicui. Suppositâ ergo harum vocum explicatione, Resp. 2. dari Circumstantias quæ addunt speciem physicā & non moralem & cōtra. Prima pars assertionis probatur; Si Petrus semel furetur duos aureos postea 120. gr. hæ Circumstātiæ addunt speciem physicam, & non moralem, ergo &c. Probo minorē; hi actus tendunt in aurū & argentum res specie physicâ distinctás, ergo sunt specie physicâ distincti, non autem morali, ut patet, ergo. Secunda pars etiam probatur. Actus quo Petrus vult comedere Carnem die Dominicâ, & quo die Veneris, sunt iidem specie physicâ, & non morali, ibi enim non deliquit, hîc deliquit, ergo eæ Circumstantiæ addiderunt speciem moralem nō physicam. Resp.3. Pœnitentem nō teneri explicare vi Concilii speciem physicam, sed solùm Moralem.

Probatur primò: quia ubi lex benigniorem sensum habet, benignior accipiendus est, sed benignior sensus est esse explicandā solùm speciē Moralem quam & Moralem & physicā, ergo. Probatur secundò, quia non apparet ratio motiva Concilii ad statuēdū id de specie physicâ, ergo &c. Probatur tertiò, quia id nō est ita cuivis facile, sed aliquādo per

perdifficile discernere. Vnde infero Petrum satisfacturum si dicat 6.fl. furatus sum, etiamsi de aureis vel grossis nullam faciat mentionem. Sufficienter inquam furtum 2. aureorum explicaturum.

Ad quæstionem quintam, an sit possibile peccatum habens duas Materias morales unā vero formam, vel habens unam materiam moralem & plures formas. Resp. ad utrumque affirmativè. Secundam speciem actuum benè declarat Author exemplo volentis unico actu 4. homines occidere, est enim ea volūtas unic⁹ actus plures malitias continens, & 4. distinctis æquivalens ut anima rationalis tribus animis. Cōcordari possunt Authores hîc contendētes quorum una pars unum, alii 4. peccata esse asserūt si dicamus unū de æquivalentiâ alterum de unitate entitatis actûs fuisse locutum. Sed quomodo Petrus confitebitur? Resp. dicet se voluisse 4. homines occidere nec necesse erit explicare an uno an pluribus actibus id voluerit, hæc enim idem sunt morali hominum æstimatione. Primam speciem benè dilucidat Author exemplo Friderici plura media ad unum finem malum ordinantis; ubi dum quærit an plura peccata commiserit? Resp. affirmativè. Probatur: quâvis medii applicatione peccavit Fridericus, si nulla alia fuisset secuta, vel præcessisset, ergo omnibus. Vbi iterum quæritur, An omnia media indifferentia hîc contrahant malitiam? Resp. si aliquando aliquod contrahit, contrahere & hîc, quæ enim disparitas? Vnde & dico debere pluralitatem mediorum explicari in Confessione, quia hæ pluralitatem peccatorum invehūt, quæ explicari debet.

Ad Quæstionem sextam: Vbi quæritur quomodo Theopompus qui Fridericum unico corpore, unicâ animâ, Geryonem 3. corporibus, unâ animâ, Antæum uno corpore 3. animabus præditum interfecerat, confiteri debeat? Resp. eo modo: hoc factum referri debere à Friderico eâ relatione in Confessione quā bonâ fide in genere moris à re ut contigit non notabiliter differre iudicaret, quod principium ubique servandum esse iudico.

Ad quæstionem septimam, Vbi quæritur, An monstrum illud Regis Scotiæ pluribus fuerit informatum animabus. Resp. aff. ut benè Author ex sensu id ipsum probat, nec id sine pluralitate animarū explicari potest. Obji. Ergo ruit Thomistarum

O Phy-

Physica. Resp. illi viderint. Ob. 2. Ergo naturaliter duæ animæ unum corpus informare possunt. Resp. negando conseq. dicam enim tunc Authore naturæ propter altissimos fines contra causarum secundarũ exigentias fuisse operatum, rarus enim est casus.

Ad quæstionem septimam dico, uno lasciviente alterum etiã lascivire debuisse quod actum materialem concernit, quia id peragitur potentiâ necessariâ, quæ habitis omnibus conditionibus, quas alter lasciviendo præstaret, necessariò agit; posset tamen altero peccante non peccare, quia id peragitur potentiâ liberâ, quæ positis omnibus ad agendum conditionibus, potest non agere.

Ad octavam quæstionem: Dico unum altero invito potuisse castitatem vovere, ut castitas cõsistit in non consensu ad actum materialem. Probatur quia id (ut probatur) potuisset præstare, ergo vovere.

Ad alteram partem ubi quæratur an altero invito potuerit uxorem ducere. Resp. aff. cum distinctione, si ducere potuit altero consentiente. Brev. Ratio difficultatis enim sita videtur in explicãdo eorum dominio partis inferioris communis quæ utrobique par est, sed hac non obstante potuit ex supposito ducere in primo casu, ergo & in secundo, altero nempè invito.

Ad decimam. Resp. fuisse duos homines, quia fuerunt duæ partes principales à quibus ut à potiori fit denominatio maximè cùm etiam quo ad corpus media tantum pars defuerit. Sed quæstio est de nomine, quid enim in re fuerit iam scitur.

Quomodo homicida utriusque partis, & quomodo alterutrius confiteri debeat, facile deducere est ex præcedentibus.

Ad 11. Quid egissent illi duo homines si diversis fuissent imbuti moribus? Resp. perpetuam fuisse luctã alternantibus iam ex unâ iam ex alterâ, parte victoriis.

Ad 12. Quid Naturæ Author de duabus illis animabus facturus fuisset, si una in gratiâ, altera decessisset in peccato? Resp. unam Cœlo, alteram Orco destinâsset, nec ad amborum resurrectionem Corporum replicatione inferioris partis communis fuisset opus, assigno modũ quo id aliter confieri possit:

Suppono enim nutritam fuisse partem inferiorem ergo successivè per totum vitæ tempus, plus materiæ habuit, quàm ad duas tales partes inferiores constituendas sufficeret, unam ergo

partem

partem materiæ dabit animæ felici, alteram infelici naturæ Author, nec enim anima fœlix in totâ quam habuit per totum vitæ tempus resurget materiâ, nisi in monstrum ingens evaderet, quod est absurdum.

Ad 13. quæstionem etsi falsò supponatur, ut ostensum est, replicatio partis inferioris & consequenter cum eadem in Orco & Cœlo sit materia, quæritur quomodo & gloriâ digna sit & supplicio, videtur tamen hæc difficultas locum habere hîc, eo ipso, quod eadem materia, ut ostensum, piæ & impiæ animæ operationibus inservierit? Resp. ergo Materiam nec formaliter, & propriè esse dignam gloriâ, nec supplicio, nisi denominativè, unde cuicunq; animæ adiungatur nulla ei fit iniuria. Vbi ampliùs quæritur, sitne possibilis actus simul meritorius & peccaminosus? Resp. neg quia ut suppono peccatum & gratia pro eodem instanti in animâ cohabitare non possunt. Dico item non esse possibilem actum amoris supernaturalis capacem alicuius levis deordinationis, multò minùs possibilem esse, etiam divinitùs, talem actum mortaliter peccaminosum. Probatur argumento superiori.

Ad 14. ubi quæritur, Denturne Monstra in actibus humanis? Resp. dari Actus quadriformes, sicut unum Corpus pluribus animabus informatum datur in physicis, & è contra dari actus qui in pluribus materiis habeant unam peccaminositatem, eo modo quo in physicis una anima tria Corpora informat: an tamen hi actus Monstra vocandi sint quæstio est de nomine. Negativa tamen probabilior videtur. In physicis enim ratio monstri desumitur à naturâ, à scopo suo aberrante, item à deformitate notabili quod in actibus humanis locum non habet. Modus hæc monstra confitendi supra dictus est.

Ad ultimum ubi quæritur, An quis contra leges actuum humanorum conformatrices peccare possit non peccando contra legem Divinam. Resp. affirmativè. Probatur: quia si quis Statum naturæ suæ valdè contrarium eligat, videtur peccare contra leges Ethicas quæ contrarium dictant, non tamen peccat contra legem Dei quæ id absolutè non prohibet, ergo.

Hæc habui, quæ pro tenuitate & imbecillitate ingenii mei, super his 14. subtilissimis dubiis (salvo omnium meliori Iudicio) differerem qui discursus, si erroribus innumeris, (ut non dubi-

to) scateat, excusari humillimè contendo, utpotè qui omni penitùs Theologiæ Moralis destitutus subsidio solo Philosophiæ & lumine naturali, ad respondendum manuducebar.

EPISTOLA III.

Reverendi admodum & Eruditissimi Patris Thomæ Comptoni S.I. Sacræ Theologiæ Professoris, &c

Reverendissime Domine, Eximieque Pater Magister noster.



CCEPI Revmæ. Dom. V. literas humanitate, benevolentiaq; testificatione plenissimas, unàq; ingeniosissimum scriptum de novâ illâ & curiosâ quæstione circa peccatorum circumstantias. Summâ illud cum voluptate perlegi, iucundissimumque fuit, tantum acuminis videre cum tantâ claritate & eruditione coniunctum. Si Exiam P. V. daretur coràm conveniendi facultas, aliquid fortasse suggerere possem ad subtilissimæ huius difficultatis elucidationem, & multa paucis expedire, at si scripto geri res debeat, responsum in immensam molem excresceт, præsertim cum Rma. P. V. multiformem hanc difficultatem, non rationibus tantùm, sed variis etiam exemplis cupiat illustrari. Hoc tamen scriptum ab eximiâ P. V. tam subtiliter deductum, lucem mihi non exiguam subministrabit, ad huius quæstionis resolutionem, ubi ad eam in commentariis, quos iam paro in universam Theologiam, pervenero. Mea autem in præsenti minùs necessaria erit resolutio, cùm Eximia P. V. tot viros præclaros, Theologiæ lumina Pragæ habeat, atque inter alios P. Arriagam, meum olim Vallisoleti in Theologiâ condiscipulum, qui

qui rem, tum Philosophicam, tum Theologicam eruditissimis suis scriptis non parum illustravit.

Ad cursum meum Philosophicum quod attinet: rubore me suffundit Eximia P.V. dum eum tot laudibus exornat: ego vix in eo quidquam laude unquam dignum existimavi; sed cùm Eximia P.V. cuncta bono intueatur oculo, omnia ei videntur bona. Animus mihi in hoc opere contexendo fuit, minutum unum in scientiarum gazophylacium coniicere, & ad pulcherrimi huius studii illustrationem, aliquâ saltem ex parte concurrere; librumque Philosophiæ auditoribus sperabam fore non inutilem: nunquam tamen eum dignum iudicavi, in quem Magistri nostri, primæ inquam literaturæ viri, oculos conjicerent, & vel semel dignarentur aspectu: Aquilæ enim non captant muscas, & sublimes animi in altioribus semper figunt obtutum; nec ad ima hæc, & humi iacentia oculos demittunt. Hoc tamen qualecunque opus pluris deinceps faciam, cùm illud Eximiæ Paternitati Vestræ placere videam. Cæterùm Eximia P.V. summâ hac humanitate me sibi penitus devinxit, semperque habebit obstrictum. Leodii 7. Februarii 1655.

EPISTOLA IV.

Reverendi admodum & Eruditissimi Patris Francisci Bonæ-Spei Ordinis Carmelitani, Lovanii S. Theologiæ Professoris, & Provinciæ Belgicæ Definitoris, &c.

Reverendissime & Eximie Domine *Pax Christi*



GAVDEO Cursum nostrum Philosophicum tanti Doctoris pertractari manibus, à quo si commendetur, nil ultra est, quod speretur: nam varia Reverend. adm. & Eximiæ Dominationis tuæ opera, quæ evolvere cœpi, & per Dei gratiam perficiam, ut eius in lumine

videam lumen, toti Mundo perhibent; quàm sit aliis insignis notæ Philosophis ac Theologis ad excogitandum acutior, ad inveniendum acrior, ad iudicandnm maturior. Quia autem eadem tua Reverend. adm. ac Eximia Dominatio Quæstionem amicitiæ tesseram nobis proponere dignatur, sed ex præsuppositis aliàs à nobis ferè rejectis fundamentis; eandem, aliis iuxta nostram doctrinam suppositis principiis, submissionis symbolum, & instructionis capessundæ gratiâ, provocatus, confidenter dissolvens repono; hoc ex litteris Reverend. P. nostri Generalis Secretarii, qui Româ nuperrimè aliquot ex illius operibus expetiit, edoctus, quod nemo tanti Magistri discipulus esse possit, qui doctus non sit; quod adhuc tamen spero. Vale, Lovanii 1. Martii Anno 1653.

QVÆSTIO REPOSITA,
etiam nova & curiosa.

Ad positam nobis de Circumstantiis aggravantibus & mutantibus speciem à Rever. ac Eximio Domino Ioanne Caramuele Abbate Monserrat: Vicario Generali Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach Pragensis Archiepiscopi, &c.



ANte Quæstionem Suppono. Tridêtinum Sess. 14. cap. 5. dicês, *Constat enim Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ exercere non potuisse: neque æquitatem quidem illas in pœnis iniungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent:* & infra: *Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant*: nihil determinare circa rationem, in quâ consistat *species peccati*, aut *species, quæ interdum per circumstantiam mutatur*; sed eam discutiendam relinquere Theologis: deinde, cùm manifestum sit ipsum non agere de Specie Logicâ formali, quæ una esse potest omnium obiectivarum; manifestè sequitur, agere de obiectivâ; nec proinde aliud velle, quàm individuum cuiuslibet peccati mortalis diversæ, sive secundum se, sive secundum cir-

circumstantiam, speciei obiectivæ, esse confitendum.

Suppono 2. ex probatis in Logicâ Tract.1. Disp.2. dub.5. nō dari distinctionem mediam inter realem & rationis, ac proinde quodcumque individuum esse indivisibilissimè *hoc*; nec aliter, quàm summè à quocumq; alio individuo obiectivè distinctum, haud secus quàm duas hæcceitates inter se, quæ magis & minus, in quo magis aut minus distinguantur, non includunt: unde meritò excludo omnem simplicium distinctionem specificā inadæquatam à verâ Philosophiâ. His suppositis,

Quæro primò, Cur, *si de moralibus moraliter philosophari oporteat, sicut de realibus realiter*, ut *posita quæstio* supponit, non æquè Tridentinum præcipere debeat cōfiteri quodlibet individuū peccati venialis, ac quodlibet peccati mortalis, cum peccati venialis individua inter se, utpotè obiectivè indivisibilissimè *hoc* & *hoc*, summè differant; nec proinde minùs quàm individua peccati mortalis? cur potiùs fornicationem hanc, & circumstantias speciem non mutantes? an fortè iudicium distinctione obiectivâ æqualium, non supponit æqualem causæ cognitionem?

Respondebitur fortè, peccatum sive formaliter, sive materialiter sumptum, non dici talis aut talis speciei ab eo, quod est in se obiectivè sic vel sic distinctū: sed prout formaliter respicit obiectum & finem malum talis vel talis speciei: materialiter verò prout à formâ talis vel talis speciei malitia denominatur peccatum.

Sed contra est, quod eadem sit ratio obiecti & finis mali, quæ intentionis sive voluntareitatis peccati materialis: vel enim ratio obiecti & finis sumitur obiectivè vel non? Si primum, indivisibilissimè obiectivè est hæc; unde integra manet difficultas: si secundum, sumetur per ordinē ad aliud: de quo alio quæram, an sumatur obiectivè vel non, & sic in infinitum? unde, salvo meliori iudicio, *quæstio posita*, videtur falsum supponere, dum in ipso capite supponit, *Oportere de Moralibus moraliter Philosophari, sicut de realibus realiter*. Quamobrem,

Quæro secundò, quis ille alius de moralibus moraliter philosophandi modus, quàm de realibus realiter? an fortè Theologia moralis Philosophiæ & rationi dominari debeat & prudens ratio ancillari? an sic conciliari non possint, ut utraque in suo gene-

genere dominetur, neutra ancilletur?

Suppono 3. ex sufficienter insinuatis in Physicâ part. 1. Tract. 2. lib. 2. disp. 5. dub. 4. in rigore philosophico actus virtutum & vitiorum specificari non posse ab obiectis, terminis, vel principiis, &c. ob rationes ibidem productas, & nondum ab aliis solutas. Hoc autem supposito,

Quæro tertiò, unde actus vitii sint diversæ speciei obiectivè ab actibus virtutis?

Respondebitur fortè (quod in Physicâ loco citato insinuavimus) actus virtutum & vitiorum specificari à communi Theologorum & Philosophorum sensu, & ab eo rectè dici diversæ speciei obiectivæ, quia aliud non videtur superesse à quo speciem sumant.

Sed contra est, quod iuxta cõmunem Theologorum sensum, incomparabiliter magis differat furtum mille florenorum supra furtum 20. assium (in quo materia gravis supponitur) à furto 20 assium; quàm furtum 20. assium supra unum à furto unius; ac proinde si hoc est sigillatim à furto unius confitendum; & idem dicendum de singulis circumstantiis notabiliter aggravantibus. Unde, quod in ipsâ *quæstione positâ* supponitur his verbis: *Suppono tanquam certum neminem teneri in confessione aperire alias circumstantias culparum, quàm illas, quæ vel mutent numerum, vel speciem. Est definita hæc veritas à Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 5.* & infra, *non ergo exigitur ut circumstantias aggravantes explicent*, salvo meliori iudicio, si non falsum, saltem valdè incertum puto.

Sic patet, ad *primas quatuor quæstiones positas* per eversionem fundamenti & suppositorum ad illas. Quare

Suppono 4. formale peccati ultimatè sumi non posse ab ipsâ deformitate cum rectâ ratione; sed ab illâ deformitate cum lege divinâ prohibente aut præcipiente sumi debere, à quâ ipsa ratio suam rectitudinem aut curvitatem, conformitatem aut deformitatem sumit; idque ob gravissima absurda, quæ ex oppositâ sententiâ sequi, Deo dante 1. 2. probare conabimur. Unde, salvo meliori iudicio, falsum putamus, quod supponitur, nempè, *esse unicum peccatum quadriforme in eo, qui unico voluntatis actu quatuor homines occidere vellet, dicens pro materiali unicam solam volitionem, & pro formali quatuor obiecta, adeoq; quatuor malitias & peccaminositates puro distinctas numero:* iudicamus enim ibi unicum esse formale & quatuor materialia: ac

ac proinde quadruplex peccatum uniforme, iuxta Suppositũ 5. dato tamen, ad intentum *quæstionis positæ*, uno peccato quadriformi, quod contingeret casu quo Petrus v.g. sub quatuor intentionibus malis solo numero distinctis unum hominem occideret.

Quæro quartò, an non satisfaceret Tridentino, confitendo se voluntariè unum hominem occidisse? Quandoquidem in Tridentino non præcipiatur confiteri materialia aut formalia peccatorum præcisè & in abstracto; sed peccatum vel peccata mortalia in concreto secundum speciem & numerum, quod, in casu posito, est unicum secundũ speciem & numerum.

Respondebitur fortè debere materiale cum suis quatuor formalibus confiteri, & sic in concreto non in abstracto.

Sed contra 1. formalia non augent numerum peccati, nec, in casu posito, speciem mutant: mortalia autem iuxta Tridentinum, loco citato, nonnisi secundum speciem & numerum sunt confitenda, & supponitur circumstantias notabiliter aggravantes non esse necessariò aperiendas.

Contra 2. Cum uno formali totum materiale confessum est: neque ex unâ parte obligatio est cõfitendi materiale plusquam totum: neque ex aliâ parte sufficit confiteri formale seorsim à suo materiali; alioqui, cùm materiale, illo iam seorsim confesso & remisso, nil malitiæ retineat, non necessariò esset confitendum, quod nullus dixerit.

Suppono 5. ex prædictis in Logicâ Præparamenti Logici Disp.4.dub.3. omnia concreta, tam accidentalia, quàm substantialia, etiam adiunctis nominibus numeralibus, multiplicari, multiplicatis solis rectis, sive subiectis aut materialibus significatis: hoc autem supposito

Quæro quintò, An casu quo Petrus v.g. sub unico voluntatis actu occiderit quatuor homines, quatuor peccata commiserit? & confiteri debeat se quatuor homicidia commisisse? &, cum tertium, supra unius homicidium, sit circumstantia intra eandem speciem notabiliter aggravans,

Quæro sextò, An affirmari possit debere confiteri se quatuor homicidia commisisse, & simul consequenter negari circũstantias intra eandem materiam notabiliter aggravantes esse cõfitendas? quia verò in *quæstione positâ* supponitur *circumstantias*

P *nota-*

notabiliter aggravantes non esse necessariò in confessione aperiendas, & tria homicidia supra unum à primo solo numero differre constat.

Quæro septimò, An ex sententiâ eorum, qui id supponunt, non sequatur peccata mortalia solo numero distincta, non esse secundum numerum confitenda, sive, an affirmari possit illa esse confitenda, & consequenter negari circumstantias dictas esse in confessione aperiendas? Imo an Tridentinum supra Supposito 1. citatum, suppositâ veritate istius sententiæ, opposita & incompossibilia non definiat?

Sic patet ad 9. supra 4. primas positas quæstiones, similiter per eversionem fundamenti & suppositorum. Igitur

Suppono 6. Certissimè dari posse monstra moralia, prout realia; quia principia moralia, intellectus videlicet & voluntas, longè in repræsentando & appetendo subtiliora sunt principiis physicis in efficiendo. Hoc supposito

Quæro octavò, An, casu quo homo daret puellæ in gravi necessitate existenti eleemosynam sub unico voluntatis actu, quo simul tenderet in motivum supernaturale charitatis, & naturale libidinis carnalis, Deus posset per gratiam cōcurrere ad istum actum ut tendētem in motivum supernaturale charitatis, sic ut per eam non concurreret ad illum ut tendentem in motivum naturale libidinis carnalis &c. quomodo in simili, nonnulli docent voluntatem ad vitalitatem actûs supernaturalis tantùm cōcurrere, gratiam ad supernaturalitatem? si posset, Quæro nonò, An talis actus non sit actûs humani monstrum? decimò, An talis actus sit confitendus? Si sic,

Quæro undecimò, An inde non sequatur illud, quod realiter est bonum & actus charitatis, esse necessariò confitendum? Si replicetur non esse confitēdum ut sic, sed ut tendit in finem malum,

Quæro duodecimò, Quomodo tendentiæ illæ ex parte fundamenti, sive ipsius actûs separari possunt? Si respondeatur ex parte solius termini, sive motivi actus separari,

Quæro decimo-tertiò, An motivum in abstracto, an in concreto cum actu confitendum sit? si secundum, redit quæstio undecima, si primum

Quæro decimo-quartò, An inde nō sequatur dari posse peccatum mortale, quod nullo casu sit in confessione confitendum?

Hæ

Hæ sunt Rever. adm. ac Eximie Domine, quas æquali numero ad positas & mihi propositas quatuordecim quæstiones, in eâdem materiâ, provocatus confidenter, implicitè saltem comprehensâ harum solutione, repono, plures cum propriis Resolutionibus suo tempore, ad maiorem Theologiæ Moralis perfectionem, additurus.

EPISTOLA V.

Authoris ad eumdem Eruditissimum P. Franciscum Bonæ-Spei.

Reverende adm. & Eruditiss. Pater.



MAGNAM ingenii aciem ostendis, dum nodos addis; orabam quidem, ut nonnullas Controversias dissolveres, & superaddis novas, ut difficultas secunda sit intricatior priori. Sed quia per eversionem fundamentorũ dedisse solutionem te putas; adhuc reponam paucas lineas, non enim ego patiar vocari falsam aut etiam probabilem hanc Assertionem, *Oportet, sicut de Physicis physicè, ita etiam de Moralibus moraliter philosophari:* volo enim, ut habeatur tanquam Principium notum per se, aut saltem demonstratum per se: omnes enim Moralitates sunt Realitatum umbræ aut imagines, & eisdem terminis aut similibus configurantur. Sic discurro.

Moralitates, realitates verè existentes non sunt: quid ergo sunt? nihil-ne? Si nihil, omnes libri Morales comburantur. Sunt aliquid ergo. Conceptum igitur, siquidem aliquid realiter existens extra mentem non sunt. Conceptum? Ergo cum fundamento in re: vel sine fundamento. Hoc ultimum dici non potest; quoniam Chimœræ & Entia rationis sunt ideæ conceptæ sine fundamento, & distinguuntur à Moralitatibus in omnium Ethicorum sententiâ. Nec contra nos citandi sunt Iuris-

periti, qui Moralitates aut etiam Virtualitates omnes *Iuris fictiones* dicunt, hoc enim ipsi nomine non chimæras intelligunt, sed suppositiones juridicas, quæ realiter loquendo non sunt. Ergo isti conceptus obiectivi Morales habent fundamentum in re. Ergo sunt hypotheses, quæ non sunt in rebus, sed ponuntur esse, & iubentur eosdem habere effectus, quos haberent, si essent. Hinc est, quòd Ens morale definiatur esse *id, quod non est reverà quale dicitur, prudentum autem iudicio ac suppositione ita se habet, ac si quale dicitur esset.* Quod clarè videtur in Adoptivo filio, qui est filius Moralis adoptantis: vocatur enim *filius*, & realiter loquendo non est filius, prudentum autem iudicio & suppositione, quoad subordinationem, hæreditatem, propagationem nominis & familiæ, &c. ita se habet, ac si esset verè & realiter filius. Ergo sicut de filio reali realiter, ita de filio morali (adoptivo) moraliter est philosophandum. Hanc consequentiam tam veram esse crediderunt priscæ ætatis Principes & Legislatores, ut errores Physicos transtulerint etiam ad Ethicam; qui enim in reales filios patri mortis & vitæ potestatem dederunt, hi ipsi eamdem authoritatem concessêre adoptanti. Quod si hodie aliqua concedantur filiis realibus, quæ negentur moralibus, non tollit hoc Conclusionis datæ certitudinem & claritatem: sed probat olim fuisse aliquos adoptatos adæquatè & perfectè, nullum hodie adæquatè adoptari: nam & hodie per leges plurima conceduntur servis, quæ non tollunt servitutem esse nullitatem politicam, servosque politicè loquendo esse nullos, sed persuadet, hodie non esse unum, qui adæquatè sit servus.

Ut has tollam difficultates dubiaque, Cursum Physico-Moralem scripsi, quem iam paratum habeo, cuius partes hæ sunt:

Philosophia secundum dici.
Grammatica Moralis.
Logica & Dialectica Morales.
Physica moraliter examinata.
Animastica Philosophia moraliter examinata.
Libri de Cælo & Mundo moraliter examinati.
Politica ad prima Physica Fundamenta reducta.
Res pecuniaria, moraliter considerata.
Medicina Moralis, &c.

Quæ

Quæ omnes Facultates & Scientiæ summâ doctrinæ consequentiâ tractantur; quæ servari non posset, nisi supponeretur, ut omnium dicendorum BASIS, hoc nimirùm Principium:

Oportet, sicut de Physicis physicè, ita de Moralibus moraliter philosophari.

Et quidem omnes Scientiæ se iuvant, & multa per parallela summâ brevitate & facilitate expedio, quæ aliter & Ego nescirem, & aliter alii non faciunt: & ut mihi sim similis, has Fundamentales Positiones admitto.

I. Oportet, sicut de Physicis physicè, sic etiam de Metaphysicis metaphysicè philosophari.

II. Oportet, sicut de Corporeis corporaliter, sic etiam de Spiritualibus spiritualiter philosophari. Aut aliter. *Oportet, sicut de Materialibus materialiter, sic etiam de Immaterialibus immaterialiter philosophari.*

III. Oportet, sicut de Naturalibus naturaliter, sic etiam de Supernaturalibus supernaturaliter philosophari.

IV. Oportet, sicut de Humanis humanitùs, sic etiam de Divinis divinitùs (hoc est, modo congruo & analogo) philosophari. Et tandem:

V. Oportet, sicut de Realibus realiter (N.B.) *sic etiam de Moralibus moraliter (Virtualibus virtualiter) philosophari.* Quoniam Materiæ, Formæ, Substantiæ, Accidentia, Magnitudines, Potentiæ, Relationes, Actiones, Passiones, Materialitates, Immaterialitates, Naturalitates, Supernaturalitates, immò etiam Divinitates Virtuales aut etiam Morales reperiuntur; de quibus agere minimè poterit, qui doctrinam Realitatum ignoret.

Hinc est *(*Pater Eruditissime*)* quòd proposita Quæstio eversione Fundamenti solvi non possit, sed debeat admisso Fundamento dissolvi. Nam si quæram, An in Sacramentis præter materiam & formam Morales reperiatur unio Moralis ab extremis distincta: vel non? me remittes ad Physicam, ut sicut de Naturalibus naturaliter, sic de Moralibus agam moraliter. Et, si inquiram, An contritio, quæ supernaturalis Amor est, in productione ponderis supernaturalis, an in pondere producto consistat, iubebis ut ad Animasticam Philosophiam redeam, & sicut de voluntate humanâ, sic etiam de Charitate, quæ voluntas supernaturalis quædam est, discurram, quia sicut de Naturalibus naturaliter, sic etiam de Supernaturalibus su-

pernaturaliter debemus agere. Et tandem, si inquiram, An Deus habeat intellectum & voluntatem per modum actûs primi & secundi, an verò per modum actûs purissimi? An liber sit? An Personalitas & Natura Divina sint duæ formalitates? iubebis, ut recognoscam disputationes de Animâ, quia sicut de Humanis humanitùs, sic etiam de Divinis divinitùs philosophandum est.

Hoc totum duobus Ego ratiociniis confirmo: Tu enim ipse in hac responsione, ad Logicam tuam me remittis, & quia in realitatibus species inadæquatas nō admittis, ideò & illas rejicis in moralitatibus: iubes ergo ut sicut de speciebus realibus sic etiā de moralibus philosopher. Et Tu etiam Logicam & Physicam præmittis Tuæ Theologiæ, quod non faceres, si nullam connexionem haberent. Si connexionem habent: ergo similitudinem. Si similitudinem, stat Fundamentalis mea Assertio, nimirùm,

Omnia Physica & Metaphysica: Corporea & Spiritualia: Materialia & Immaterialia: Naturalia & Supernaturalia: Humana & Divina: Realia & Moralia; sunt analoga. Qui unum aut alterum harum formalitatum genus benè percalleat, cætera per rationis paritatem cognoscet: quia sicut de unoquoque, sic etiam de cæteris omnibus philosophandum est, proportione servatâ.

Hæc volui, Pater Eruditissime, uberiùs persequi, ut occasionem dem, ut respondeas, ingenioque tuo positas difficultates dilucides, non novas tertiò reponendo, sed solvendo & à me positas, & à te repositas, ut Lectores nostro communi studio & labore iuventur. Vale. Dedi Pragæ apud Montemserratum die 8. Novembr. 1653.

EPISTO-

EPISTOLA VI.

Reverendi admodum & Eruditissimi Patris Petri Martyris de Hyberniâ. Ordinis Prædicatorum S. Theol. Professoris, &c.

Reverendissime Domine: Patrone æternùm colendissime.



ECEPI suas jampridem datas, quibus distuli respõdere, partim ne hominem in rebus Religionis, & Reipublicæ Christianæ negotiis occupatum, molestem: partim denique quia exitũ negotii mihi commissi circa responsum suorum punctorum moralium, de quibus apud multos hactenus egi, expectaveram. Multis sua puncta moralia communicavi, à nemine hactenùs responsum habui nisi à quibusdam merè verbalem, nempè quod nec pro nec contrà in scriptis velint quidquam respondere; nihilominùs ego conabor (si non aliâ viâ) in gratiam mei patroni responsum procurare suaviter & benevolè. Pro nunc præ manibus non habeo nisi inclusum, nempè meũ, quod offero V. R^mæ^. Dominationi corrigendum, ut in moralibus palàm declarem meam ignorantiam, Tibi etenim meo Patrono illam magis innotescere cupio quàm aliis mihi ignotis aut fortè non benevolis. Dum ab aliis huius universitatis præcipuis & illustrioribus Professoribus, responsum accepero, fidelissimè transmittam.

PROPO-

PROPOSITÆ QUÆSTIONIS RESOLUTIO.



Nalogiam moralium ad naturalia, nemo negare potest, nisi ad insaniam redactus. Positâ ergo Analogiâ naturalium & moralium, nemo sanę mentis potest univocationem naturalium & moralium statuere. Si enim in omnibus esset eadem ratio & omnimoda paritas, non Analogia, sed Vnivocatio naturalium & moralium esset statuenda; Cùm ergo Analogia ponatur, horum univocatio omninò proscribenda erit; & consequenter non erit in omnibus expetenda par omninò ratio, sed tantummodò analoga & proportionalis, quæ naturalium & moralium quandam similitudinem importabit cum aliquali dissimilitudine & discrepantiâ; Itaque naturalium & moralium in huius Quæstionis decisione Analogiâ propugnare intendo iuxta quæstionis hypothesin proscriptâ univocatione. Vnde discursum tàm de naturalibus quàm de moralibus, servatâ utriusque Analogiâ, incipiam, & quia naturalia sunt notiora moralibus meritò à naturalibus incipiendum erit, prout conducunt ad notitiam moralium.

Itaque dari species inadæquatas in physicis sivè naturalibus expressè docet Aristot. X. Ethicor. cap. 4. Ubi Aristotelis rationes ad formam syllogisticam reducit D. Tho: ibidem lect. 5. incipiendo à litera D, usque ad literam G, & hoc idem docet 1. 2. q. 72. art. 7. in initio corporis ex Aristotele, loquendo de motu, generatione animalium, & artificialium. Cæterùm non per hoc intendo approbare dictum Oviedo, aut Thomæ Comptonii: nam tota distinctio viri à muliere, & unius animæ ab aliâ individualis censenda est: in tantum enim nobilior anima quoad sua naturalia excedit ignobiliorem, in quantum creatur à Deo in corpore meliùs organizato, & disposito & meliori constellationi subiecto, saltem quoad sensus internos; neq; differentia sexus aliundè provenit inter virum & mulierem, quàm ex perfectione vel imperfectione individuali, in quâ

quâ potest admitti latitudo, penes magis & minùs, ut patet inductivè in perfectione individuali aliorũ individuorũ, sine eo quod imaginemur formalitatẽ aliquam mediam inadæquatam inter speciem & individuum per quam mulier constituatur in specie inadæquatâ distinctâ à viro.

An autem detur formalitas intermedia inter unitatem & numerum, non est præsentis examinare; quid autem de hâc censeam, insinuabo in decisione dubii 6. & 7. Quoad circumstantias necessariò exprimendas in confessione, dico illas solas esse quæ vel speciem vel numerum peccati mutant, reliquas autem, ut sunt purè aggravantes, quæ speciem non mutãt, non necessariò esse exprimendas à pœnitente, sed ad meliùs esse sive ex consilio, quod non obscurè docet D. Thom. in 4. Sentent. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiuncul. 5. in corp. & distinct. 41. art. 4. quæstiunculâ 1. in fine corp. & in disputatis q. 2. de malo art. 6. ad 2. cuius authoritati in moralibus fides magis est habenda, quàm quorundam casistarum placitis. His præmissis proponuntur dubia cum eorum resolutionibus.

DVBIVM PRIMVM.

An dentur in peccatis circumstantiæ quæ addant speciem incompletam, & an dentur huiusmodi species in moralibus, insuper datis istis speciebus quæruntur exempla in materiâ morali, uberioris claritatis gratiâ.

Responsio.

DAri species incompletas in moralibus & circumstantias tribuentes huiusmodi species actibus, esto nullibi reperiatur expresse & assertivè dictum apud D. Th. nihilominùs qui asserit huiusmodi species, fundamentũ non leve habet in doctrinâ D. Th. implicitè & argutivè: nam 1. 2. q. 72. art. 7. quærens utrùm peccatum convenienter dividatur in peccatum cordis, oris, & operis, respondet in corpore articuli in moralibus ita ad invi-

cem comparari peccatum cordis, oris, & operis, sicut ad invicem cōparantur collocatio fundamenti, erectio parietis & ædificatio domûs, & in hoc paritatem ponit, quòd prima inchoatio peccati & quasi fundamentum ruinosi ædificii, est fundatio in corde, deinde erectio parietū peccati in ore, secundum quod homo prorumpit ad manifestationem cordis, & completa eius consumatio in opere. (horum exemplum habetur in contumeliâ contra proximum in corde cum deliberatione conceptâ, verbo iniurioso prolatâ, & opere contumelioso completâ, habetur etiam in peccatis carnalibus, ut patet in adulterio, stupro & simplici fornicatione) Sed collocatio fundamenti & erectio parietum ordinatæ ad completā generationem domûs distinguuntur ab invicem ut species imperfectæ secundum Aristotelem X. Eth. cap. 4. & S.Th. tam ibi quàm in loco citato ex 1.2 ergo etiam mentalis fundatio & vocalis erectio peccati distinguuntur ab invicem tanquam species imperfectæ complendæ per peccatum operis. Nec valet si dicatur consequentiam malè esse illatam ad mentem D.Th. quia in textu S.Th. non affirmat quod distinguantur specie incompletâ, sed tantùm affirmat quod distinguuntur per gradus, non inquam hoc valet ad propositum, nam affirmando in proposito formaliter & expressè posterius, videtur affirmare virtualiter, implicitè & argutivè prius, quod sic manifesto. Nam D. Thom. loquens in art. citat. de speciebus incompletis naturaliū, quales concedit in generatione, in motu & in ædificatione domûs, docet quod secundum diversos gradus in aliquâ generatione vel motu accipiuntur istæ species, ergo dum in eodem articulo affirmat expressè quod secundum diversos gradus (quasi per viam cuiusdam motûs vel generationis moralis peccati) distinguuntur peccata cordis, oris, & operis, virtualiter implicitè & argutivè videtur affirmare quod distinguantur sicut species imperfectæ. Imò verisimile non est quod S.Th. in initio corporis aliud omninò intellexerit nomine gradûs & aliud in conclusione corporis, aliàs æquivocationē in suo discursu committeret. Ulteriùs eodem modo videtur S. Tho. loquutum fuisse de peccato oris, cordis, & operis in corpore & in solutione ad tertium; in corpore autem ob identitatē unius motivi omnium tantùm negat quod ista distinguantur

spe-

ſpecie completâ; ergò in ſolutione ad tertiũ, dum dicit iſta nõ diſtingui quando ſunt ſimul, loquitur de ſpecie completâ. Cæterùm non intendo peccatum cordis & oris univocè dici ſpecies incompletas, eo omninò modo, quo experiuntur ſpecies incompletæ in generatione animalium, artificialium, & motu, in iſtis enim reperiuntur ſpecies incompletæ quæ ſunt per ſe ſpecies in quas dividitur genus tanquam in partes ſubiectivas, in motu propter diverſitatem termini à quo & ad quem, in generationibus artificialium propter diverſitatem formarum hæterogenearũ, ut patet in generatione domûs, in generatione animaliũ propter formam mediã embrionis quæ præcedit formã ſpecificam geniti, non inquam eo modo quo ipſæ dicuntur ſpecies incompletæ dici debẽt peccatum cordis & oris ſpecies incompletæ reſpectu peccati operis, nam in his deeſt diſtinctio hæterogenearũ formarum qualis competit generationi domûs, parietis & fundamenti, nec eſt imaginanda aliqua forma media ut via ad generationem completam ſicut forma embrionis eſt via ad formam hominis completam, ſed tantummodò forma intenti finis proprii reperitur diverſimodè ſe habẽs in omnibus ſecundum diverſum ſtatum ſcilicet perfectum & imperfectum; ſunt igitur ſpecies incompletæ non univocè ſicuti prænominatæ ſunt, ſed ſpecies incompletæ ſimilitudinariè, & per quandam analogiam in quãtum ſunt quidam motus permanentes ordinati ad ipſam ſpeciẽ completam peccati operis eo modo ſe habentes ſicut partes motûs ſucceſſivi continui, quæ quidem partes non dicuntur propriè ſpecies incompletæ ex defectu diſtinctionis terminorũ, tametſi in motu diſcreto ſive habente partes non continuatas, admittendæ ſint ſpecies incompletæ ſervato rigore philoſophicæ loquutionis. Quapropter meritò S.Tho.3.part.art.penult. ult. quæſt.in ſolut.ad 1. docet diviſionem peccati in peccatum oris, cordis, & operis non eſſe eiusdem in partes ſubiectivas, ſed in partes integrales. Itaque ſpecies incompletas in moralibus aliter quàm iam explicui non reperio apud S.Thomam. Quoad exemplum allatum de contumeliâ in Deum & proximum videtur quod ſit omninò diverſæ ſpeciei nõ minùs quam blaſphemia in Deum & Sanctos: nam ut docet S.Th.1.2.q.72.art.4.& 73. art.3.in 2.& ad 2.in corp.peccata

commissa contra Deum ut sunt hæresis, sacrilegium, blasphemia & similia distinguuntur specie à peccatis quæ peccans committit contra se & contra proximū. Admissis nihilominùs speciebus incompletis in moralibus quæ sint tales eo modo quo ponuntur in naturalibus qualiter pœnitens teneatur ad eas exprimēdas in confessione patebit ex resolutione sequentis dubii; unde sit,

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrùm debeant in Confessione exponi circumstantiæ dantes speciem incompletam: Quod est quærere: An verba Concilii Tridentini Sess. 14. videlicet. [Eas circumstantias in Confessione explicandas esse quæ speciem peccati mutant,] intelligenda sint de specie completâ tantummodò an verò de alterutrâ?

Responsio:

SI sermo sit de specie incompletâ quæ non est univocè species nec pars subiectiva generis, sed tantùm similitudinariè & reductivè, videtur talem non necessariò esse exprimendam à pœnitente tanquam aliquam speciem condistinctam (idem dico de circumstantiâ) à specie perfectâ & completâ, v.g. dum pœnitens confitetur adulterium commissum sive opere expletum, non est necesse quod fateatur expressè & explicitè tanquam aliquod peccatum condistinctum se tūc habuisse consensum in corde & verba sive signa externa designantia internum consensum & provocantia ad actum, cùm omnia tùnc simul sumpta integrent unum peccatum, & aliàs dicendo ipsum opus factum implicitè exprimit ipsum opus internè volitum & signis exterioribus expressum in tantum quod prudēs Confessarius omnia simul intelligat: nam ut docet D. Thom. 1. part. q. 14, art. 16. per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti non tantùm in communi sed etiam propriâ cognitione, sicut qui cognoscit hominē, cognoscit animal propriâ cognitione, & qui cognoscit senarium

rium cognoscit ternarium propriâ cognitione; ex quo infero quod dùm prudens Confessarius cognoscit ex verbis pœnitentis adulterium opere consummatū, sufficienter cognoscit adulteriū mente conceptum, signis aut verbis expressum, quæ sunt partes integrales adulterii coalescētis ex omnibus simul sumptis, tāquam ex partibus integralibus; unde cùm nō cadat sub præcepto Consilii Tridentini quod partes integrales peccati sed tantùm species in Confessione exprimatur, hoc est expressè explicetur, videtur non omninò necessarium quod ille passus Consilii Tridentini locum habeat in huiusmodi speciebus incompletis. Inferes: Ergo si aliquis vidēs alienam uxorem præbuisset internum consensum in adulteriū, si nunquā in opere consummaretur, non cadit sub præcepto Consilii quod ille consensus exprimeretur in confessione, sicut non cadit dùm est coniunctus consummationi operis. Respondetur negādo consequentiam: nam in tali casu estò deficiat cōplementū consummati operis, non tamen deficit complementum specificum & morale internum tali actui; unde in tali casu non censeretur esse in specie adulterii per reductionem tāquam pars integralis sed censeretur esse per se individuum adulterii licet comparativè deficiat ipsi perfectio cōsummationis operis, ut patet in aliis peccatis quibus quandoque præter intētionem peccantis deest perfectio operis in exequutione, quæ tamen sibi non deest quantum est ex parte intentionis operantis. Indeque patet quod toties pœnitens tenetur in Confessione exprimere consensum adulterii præmeditati quoties talem consensum habuit separatum à cōsummatione operis ut servetur integritas confessionis quoad numerum peccatorum, estò nō teneatur consensum coniunctū cū consummatione operis tanquā speciem cōdistinctam per se à specie operis consummati exprimere.

Admissis nihilominùs speciebus incompletis in moralibus, quia si tales dantur, dantur ut partes subiectivæ generis & species per se, licet comparativè ad species perfectas & completas dicantur imperfectæ, sive incōpletæ, eo modo, quo dicuntur in generatione animalis artificialium & motuum. Dico quod passus ille Consilii Tridentini extendatur ad tales species rationabiliter quia non fuit intentio Patrum Consilii Tridentini

tantùm obligare pœnitentes ad species peccatorum exprimendas quæ comparativè ad alias nō dicuntur imperfectè, aliàs Consilium tantùm intenderet quod species gravissimorum peccatorum essent necessariò tantùm exprimendæ, & sic non intenderet Consilium quod species provenientes ex circumstātiis comparativè minùs gravibus essent exprimēdæ in confessione, quod videtur irrationabile: nam irrationabile est, quod species stupri proveniens ex circumstantiâ virginitatis violatæ, quia respectivè ad speciem Sacrilegii, provenientem ex circumstantiâ violatæ virginitatis Deo consecratæ, est species imperfecta, non sit exprimēda à pœnitente in Confessione; itaque intentio Patrum Consilii in præfato passu videtur directa & ordinata ad speciem peccati quæ est per se species & absolutè, non limitādo eius conditionem ad species perfectas nec excludendo imperfectas comparativè tales; quapropter esto verum sit, quod acceptio & distinctio specierum completarum, & incompletarum videatur Consilio recentior, tamen acceptio speciei per se præscindendo ab istis conditionibus est Consilio antiquior, & circa illam videtur directa intentio Consilii; ergo in quocunque peccato reperiatur ratio specifica peccati moraliter proveniens à circumstantiâ vel obiecto, sive illa ratio sit omnibus numeris perfecta, sive sit perfecta absolutè & comparativè imperfecta cadit sub præcepto Consilii quod in confessione exprimatur.

DVBIVM TERTIVM.

An sit eadem divisio distinctionis in completam & in incompletam, ac in logicam & moralem; & si sit unde hæc coincidentia colligatur, & si non sit, an in morali Theologiâ reperire circumstantias poterimus quæ addant logicam speciem peccatis, & non physicam seu moralem?

Responsio.

VIdetur non esse eandem propter duo: primò quia si dantur in moralibus species incompletæ quæ sint per se species sicuti

ſicuti in phyſicis dantur, illa di viſio diſtinctionis erit communis moralibus & phyſicis; unde non coincidet cum diviſione diſtinctionis in Logicam & Moralem; Secundò ſi in moralibus non dentur ſpecies incompletæ quæ ſint per ſe ſpecies & partes ſubiectivæ generis, proculdubio diviſio diſtinctionis ſpecificæ in incompletam & completam nō coincidet cum diviſione diſtinctionis ſpecificæ in Logicam & Moralem. Hoc poſito dum quæritur, an in morali Theologiâ reperire poterimus circumſtantias quæ addant logicam ſpeciem peccatis, & non phyſicam ſeu moralem? Videtur dicendum (ſumptâ Ly, phyſicâ ſpecie, non pro ſpecie naturæ quia talem nulla tribuit circumſtantia, ſed ſumptâ Ly, phyſicâ, pro morali ratione ſpeciei quam realiter in genere moris habet) quod non, quia per eandem circumſtantiam quâ peccatum conſtituitur in ſpecie moris tali vel tali, conſtituitur etiam in ſpecie logicâ moris v.g. à circumſtantiâ rei ſacræ furto ablatæ conſtituitur furtum ſacrilegum moraliter, & per eandem habet rationem, in quâ metaphyſicè conveniant omnia furta ſacrilega de quibus prædicari poteſt, tanquam de differentibus numero in quid. Hoc intelligo de circumſtantiâ morali præciſſâ per intellectum à conditionibus individualibus.

DUBIUM QUARTUM.

An non ſolùm teneatur pœnitens in Confeſſione aperire circumſtantias addentes ſpeciem phyſicam ſeu moralem, ſed etiam addentes logicam ſeu metaphyſicam?

Reſponſio.

Videtur rationabiliter dicendum tantùm obligari pœnitentem in Confeſſione exprimere circumſtantias addentes ſpeciem phyſicam ſeu moralem, tametſi ut iam dixi ſpecies logica & moralis proveniat radicaliter ab eâdem circumſtantiâ, diverſimodè cum fundamento in re, per rationem conſiderata. Itaque

que intendo quod pœnitens nō obligetur illam eandem circumstantiam exprimere in confessione reduplicativè ut tribuit speciem Logicam, sed tātummodò ut concernit mores & tribuit speciem moralem, & huius ratio est quia intentio Patrum Consilii Tridentini in præfatâ declaratione videtur principaliter ordinata ad directionem pœnitentis in materiâ morali quæ per se regulatur præceptis Dei & Ecclesiæ datis circa mores, & non regulis Logicæ, tametsi Logica extendat sua præcepta ad moralia, ut de illis suos discursus possit formare, sicut & de quâcumque aliâ materiâ, in quantum in eis reperit fundamenta suarum intentionum v. gr. generis, speciei, individui, differentiæ, proprietatis, prædicati, subiecti, antecedentis, consequentis, &c. Imò cùm non lateat Consilium Christianos maiori ex parte, partim propter hebetudinem ingenii, partim propter mundanas occupationes necessarias, partim denique propter defectum applicationis incapaces esse notitiæ speciei Logicæ, non videtur intentio Consilii collimare ad hoc quod pœnitentes teneantur exprimere speciem peccati præcisè aut reduplicativè ut est Logicæ considerationis sed potiùs ut est moralis considerationis; aliter debuisset à Consilio vel ab Ecclesiâ proponi, omnibus Christianis Logica addiscēda non minùs quam eis proponuntur præcepta Decalogi & Ecclesiæ. Imò ulteriùs proscribendi essent Confessarii in Logicâ imperiti si opus esset quod pœnitentes in Confessione exprimant speciem Logicam peccati, quam licet materialiter exprimant exprimendo moralem, tamen formaliter non expriment dùm illam ignorant nec eam denique minùs periti Confessarii intelligunt.

DVBIVM

DVBIVM QVINTVM.

An sit possibile peccatum quod habeat unicam materiam moralem & duas malitias seu formas distinctas puro numero, aut etiam contra, nempè peccatum quod habeat duas materias morales distinctas puro numero, & unicam tantùm malitiam seu peccaminositatem pro formali?

Responsio.

AD primam partem Dubii videtur respondẽdum esse negativè in sententia D. Tho. quia sicut in physicis repugnant duo accidentia solo numero distincta in eodem subiecto, ita in moralibus repugnant duæ malitiæ morales solo numero distinctæ in eodem actu morali: par enim utrobique currit ratio implicantiæ; unde si Petrus unico voluntatis actu occidere voluisset quatuor homines, in tali actu subiectivè statuenda esset unica numero malitia terminativè extrinsecè & obiectivè quadruplex æquivalens malitiæ quadruplicis actus, sicut dùm quis confert unam eleëmosinã quatuor pauperibus unico actu, in tali actu est unica numero bonitas moralis extensivè tamen & terminativè multiplex, æquivalens quãtitati bonitatis moralis quatuor actuum, si quatuor actibus talis eleëmosina distribueretur. Si ergò Petrus ad se reversus doceri vult quo peccaverit modo? & quo teneatur confiteri? iam patet qualiter peccavit; confiteri tenetur ex optimo Consilio si non ex maiori necessitate se voluisse occidere quatuor homines. Imò vix potest exprimere in Confessione illum numero actum moralem quin illa quatuor connotata extrinseca per se & in recto intenta expresse exprimat, à quibus per se extrinsecè & terminativè dependet moralitas individualis actûs, licet ab eisdẽ non dependeat intrinsecè & subiectivè. Et dùm quæritur an peccatum illud possit vocari quadriforme, videtur quod sic, esto unicam numero malitiam

intrinsecam habeat, propter ipsius extensionem ad quatuor objecta: unico enim actu & unicâ malitiâ pœnes ordinem ad diversas circumstantias, aliquis dicitur multipliciter peccare: nam ut docet S. Th. 1.2. q. 73. art. 7. in corp. Si prodigus det quando nō debet & cui non debet multipliciùs peccat eodem genere peccati, quàm si solùm det cui non debet. Ex quo videtur ritè posse inferri quod intendens unico actu occidere quatuor homines, unico actu quadriformiter peccat, ergo actus ille potest appellari peccatum quadriforme, esto unicam numero malitiam intrinsecam habeat. Ad secundam partem Dubii videtur dicendum ad mentem D. Thomæ quod sicut in physicis repugnat dari idem numero accidens in duobus subiectis, ita similiter in moralibus repugnat eadem numero malitia in diversis actibus moralibus ab invicem separatis v.g. si Fridericus diversis actibus & mediis diverso tempore utatur ut illicitè potiatur Antoniâ, quilibet horum actuum finis malitiâ informatur, & quilibet habet propriam numero malitiam in ordine ad eundem finem, unde numerum horum actuum tenetur exprimere in confessione, ut servetur confessionis integritas quoad peccatorum numerum.

DVBIVM SEXTVM.

Quo debeat confiteri modo Theopompus, qui Fridericum unico corpore & unicâ animâ, Geryonem tribus corporibus & unicâ animâ, & Anthæum uno corpore & animabus multis præditum, interemerat?

Responsio.

QVicunque ponit unam animam in multis corporibus approbare censetur phantasticam hæresim Averrois quam recenset directorium Inquisitionis part. 2. q. 4. asserentis intellectum esse unum numero in omnibus, quam hæresim meritò damnavit Leo Papa in Consilio Lateranensi Sess. 8. his verbis: *Cùm diebus nostris nonnulli, ausi sint dicere de naturâ animæ ratio-*

nalis

nalis quod mortalis sit aut unica in cunctis hominibus, & aliqui temerè philosophantes secundum saltem philosophiam verum esse asseverent, sacro approbante Consilio damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus; & hac in dubium vertentes: cum illa immortalis existat, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda. Et paulò inferiùs: *Et ut aliter dogmatizare non liceat districtiùs inhibemus, omnesque huiusmodi erroneis assertionibus adhærentes, tanquam hæreticos vitandos & puniendos fore decernimus.* Hæc Consilium. Qui denique ponunt in uno corpore plures animas intellectivas, ut videntur posuisse Poetæ & aliqui Antiqui errantes cointelliguntur damnari iisdem Consilii verbis: nam si anima pro corporum quibus infunditur multitudine sit singulariter multiplicabilis, multiplicata & multiplicanda; ergò ubi non ponitur multitudo corporum non est possibilis singularis multitudo animarum. Patet consequentia, hæc propositio, anima est singulariter multiplicabilis multiplicata & multiplicanda pro corporum, quibus infunditur, multitudine, est definita de fide; ergò eius contradictoria, anima non est singulariter multiplicabilis, multiplicata & multiplicanda pro corporum quibus infunditur multitudine est hæretica & contra fidem; sed qui ponit tres animas intellectivas in uno corpore ponit tales non pro corporum, quibus infunditur, multitudine, unde manifestè apparet quod assertores talis positionis cointelliguntur damnari à Consilio, cùm illis qui ponebant unicam animam in multis corporibus; Poetæ igitur, Philosophi, aut Historici in similibus non sunt audiendi ut præcipit Consilium in Sess. citat. monens & exhortans omnes publicos Professores quatenus doctrinam Philosophorum & Gentilium in rebus gravioribus quæ tangunt fidem purgent & corrigant, & ut verbis utar Consilii, *Vnde infectas Philosophia & poësis radices purgare & sanare valeant.* Hæc Consilium.

Nihilominùs posito illo casu impossibili (dixi impossibili eo quod ponam multitudinem & unitatem numericam animarum desumi radicaliter à materiâ multiplicatâ vel unâ numericè) nempè quod detur una anima in multis corporibus. Si in illis

li; esset præcisè ut motor eo modo quo intelligentia motrix est in cœlo, prout posuit Averrois & Petrus Ioannis ex illis omnibus non componeretur unum tertium nisi sicut ex motore cœli & cœlo; undè qui destrueret illa tria corpora non censeretur homicida, quia nulli intrinsecam vitam ademit, sicut qui lapidem destrueret in quo est intelligentia ut motor in mobili, non censetur occidisse. Si tamen poneretur una anima in tribus corporibus (per impossibile) ut forma informans, cùm debeant consequenter supponi illa tria corpora habere unicam numero vitam substantialem & subsistere unicâ numero subsistentiâ animæ debent supponi unicum numero vivens substantivè, & unicum numero subsistens sive suppositum; unde qui occideret illa tria corpora unicum occidisset hominem & unicum speciei humanæ suppositum destrueret, ex quò patet qualiter debeat confiteri. Similiter positis per impossibile pluribus animabus in uno corpore si una earum esset informans & reliquæ motrices, iam patet ex dictis quod occidens tale corpus unum occidisset hominem. Si tamen omnes ponerentur formæ informantes idem corpus, occideret plures homines, adimendo plures substantiales vitas eidem corpori, sicut si per miraculum idem homo semel occisus ab inimico, resuscitaretur bina vice, & denuò ab eodem bis occideretur, quâlibet vice quâ occiditur idem, inimicus censetur homicida, quia quâlibet vice ademit ipsi vitam.

Quoad illud monstrum quod refertur ex Annalibus Scotorum fuisse in Scotia circa annum Christi 1490. quod habebat gemina membra corporis humani in superiori parte, in inferiori autem nihil discrepans à communi hominum formâ, de quo refertur quod habuit duas volũtates, quibus duo corpora secum discordia & litigiosa discutiebat, & dum lædebatur in superiore parte in uno corpore, sensus ad illud corpus pertinebat & ad alterum corpus non pertingebat, cùm autem lædebatur in inferiori parte sensus ad utrumque corpus pertingebat. Quid de hoc monstro dicendum sit patebit ex resolutione Dubii sequentis.

DVBIVM

DVBIVM SEPTIMVM.

An non eius inferior pars à duabus simul animabus fuerit informata? & si fuisse dicatur, an non solo hoc ariete diruatur Physica Thomistarum? & si non fuisse dicas, exponas, quo poterat modo vterq; dolorem sentire, quando lædebatur infernè.

Responsio.

NVllo monstruoso arietè hactenùs reperimus physicam Thomistarum in suis fundamẽtis dirutam fuisse, neque hoc ariete plus fabuloso quàm monstruoso diruetur; qui namque inferiorem partem huius monstri informari animabus duabus asserit, consequenter tenetur asserere duas animas posse dari in uno corpore: si enim non repugnant in unâ parte corporis, nõ repugnabunt duæ animæ in uno corpore, sed iam reprobatum est ex Consilio Lateranensi posse poni plures animas in uno corpore; ergo consequenter hoc quod est necessario annexum huic errori: nempè posse poni plures animas in unâ parte corporis falsum & erroneum est, quando enim in Consiliis generalibus damnatur aliqua propositio tanquam hæretica cointelliguntur damnari virtualiter & implicitè omnes propositiones quæ per logicam consequẽtiam sunt illativæ illius propositionis damnatæ, & quæ ex ipsâ inferũtur; cùm ergò ex istâ propositione, una pars corporis humani potest informari animabus duabus, ritè inferatur: ergo duæ animæ possunt esse in uno corpore, & hæc sit damnata & erronea, cointelligetur altera propositio virtualiter & implicitè damnari tanquam falsa & erronea; ergò necesse est fateri inferiorem partem illius monstri informatam fuisse unicâ animâ & consequẽter quod dum lædebatur, sensus non pertingebat ad utramque partem superiorem sed potiùs ad illam partem cuius anima informabatur inferior pars, sicut dum lædebatur in superiori parte, sensus non pertingebat ad alte-

teram partem eò quòd non erat una utriusque anima. In contrarium huius si quæ extat historia, corrigenda est, non admittenda; unde sit

DVBIVM OCTAVVM.

Vtrùm si membra inferiora erant communia, an alter potuerit lascivire, altero nec lasciviente nec peccante.

Responsio.

POsito quod in parte inferiori unum tantùm sit membrum genitale monstri illud membrũ videtur commune tantùm fuisse quoad expulsionem urinæ vel excrementorum, non autem quoad virtutem generativam, cùm non potuerit animâ utriusque informari. Exemplum huius habemus in arbore habente duos ramos: unum naturalem & alterum sibi insertum artificio & industriâ hortulani; inferioris partis & rami naturalis est una virtus generativa per quam ramus insertus nequit generare, quia nequit generare per virtutem alienam sive alterius formæ, & aliter non potest producere sibi simile quàm per virtutem propriæ formæ; unde dico quod illa pars monstri superior cuius animâ informabatur inferior pars, poterat lascivire & peccare, alterâ parte non lasciviente nec peccante.

DVBIVM NONVM.

An alter vovere castitatem potuerit aut uxorem ducere, altero invito?

Responsio.

ILle cuius animâ informabatur inferior pars, si non est impotens aut aliud canonicum impedimentum habet, potest uxorem

rem ducere altero invito, quia in ordine ad actionem generativam inferior pars est sua propria & quantum ad hoc plenum ipsius dominium habet, alter autem poterat quidem vovere castitatem, non tamen ducere uxorem, cùm censeatur carere potentiâ generativâ.

DVBIVM DECIMVM.

An hoc monstrum fuerit unus homo biformis?

Responsio.

NOn fuit unus homo, quia habuit duas animas ut supponitur & duo corpora in superiori parte, quod sufficit ut dicatur duo homines, & duo suppositа speciei humanæ, sicuti verò dicitur unus homo, & unum suppositum speciei humanæ, ille qui nascitur sine pedibus qualem ego vidi, licet sit integraliter imperfectus, qui ergò alteram partem monstri occidisset alterâ remanēte vivâ homicidium cōmitteret; unde patet quo modo debeat confiteri, & si utramque partem occidisset diversis actibus & successivè duo committeret homicidia; si simul unico actu esset intrinsecè unicum numero homicidium, extensivè & extrinsecè duplex & biforme.

DVBIVM VNDECIMVM.

An illæ duæ voluntates monstri poterant fuisse diversis moribus imbutæ?

Responsio.

RAtione diversæ inclinationis quam poterant habere illæ duæ animæ in illis duobus corporibus propter diversitatem temperamenti corporum, illæ duæ voluntates poterant diversis moribus imbui.

DVBIVM DVODECIMVM.

Quid fieret de isto monstro, si altera pars moreretur in gratiâ & altera in peccato mortali?

Responsio.

PArs quæ morietur in peccato, cruciabitur in Inferno, altera æternâ fruetur beatitudine, & illa inferior pars corporis in resurrectione reassumetur ab animâ illius partis monstri quâ informabatur in vita, & altera pars monstri resurget completa infernè per materiam à Deo subministratam: nam ut docet D.Th.in 4. sententiar. in resurrectione universali omnium hominum infantes & nati cum defectibus in integritate membrorum resurgent in perfectâ hominis staturâ, & materiâ, quæ aliàs defuit illis (loquor de destinatis ad beatitudinem) ad integritatem & perfectionem integralem subministrabitur per divinam providentiam, sicut & Gigantes habentes quantitatem indebitam speciei humanæ, si qui fuerunt à Deo destinati in gloriam, resurgent depositâ magnitudinis monstrositate, in quantitate proportionatâ speciei humanæ.

DVBIVM DECIMVMTERTIVM.

An possit unus & idem actus esse simul meritorius & peccaminosus? an actus amoris supernaturalis secundum communem cursum rerum, alicuius levis deordinationis sit capax? an præter communem rerum cursum capax etiam sit deordinationis gravis & mortaliter peccaminosæ?

Responsio.

UNum eundemque actum supernaturalem esse meritorium premii supernaturalis & simul peccaminosum repugnat, non

non tantùm secundum commu-nem cursum rerum, sed inspectâ potentiâ Dei, ita D.Th.1.2.q.21. art.1.in fine corporis, huius rationes qui examinare cupit legat Interpretes D.Th. ibidem: esse capacem levis deordinationis ex defectu alicuius circumstantiæ, vel non, res parva esto, quilibet abundet in suo sensu.

DVBIVM DECIMVMQVARTVM.

An in actibus humanis sint monstra: & si sint, an omnia sint peccaminosa: exempla quæruntur quibus monstruosæ moralitates probentur & dilucidentur, & qualiter in Confessione sint explicanda, cùm monstra non sint ullius speciei?

Responsio.

Dari in naturalibus monstra dubium non est, talia esse in genere certum est: nam monstra variformia animata videmus quotidiè, de quibus certum est & sensu notum quod non careant vitâ sensitivâ, indèque cōstat talia esse in genere animalis; idem dico de monstris plantarum & talia habere suas species suadet ratio, quia nullibi reperitur gradus genericus contractus nisi mediantibus differentiis specificis; cùm ergo ponatur in animalibus monstruosis gradus genericus animalis nō incontract° aut vag°, debet in eis poni cōtractus per proprias differentias. Neque hoc derogat eorum mōstruositati, nam etiam mulus ponitur monstrum, nihilominùs propriam speciem habet distinctá à specie asini & equæ, ut docet D.Th.7.metaph. lect.7. circa finem litera D, & tamen ut ibidem habet monstrum est; idem dico de omnibus quæ generantur per principium activum & passivum diversæ speciei; dicuntur ergò monstra, non quod careant propriâ specie, sed quia accidunt præter aut contra inclinationem naturæ particularis operantis ut ibidem docet D. Th. & q.3. de verit. art.8.ad 4.& q.3. de potentiâ art.8. ad 1. Hæc de naturalibus sufficiant, transferamus nos ad moralia. In acti-

bus humanis reperiri monstruosos modos peccandi docet D. Th. 2. 2. q. 154. art. 11. in fin. corp. Cur non ergò in moralibus per monstruosos modos peccandi generentur monstra; cùm homo & bestia commiscentur, si quid generatur homo non est, sed bestia alterius speciei ab utroque, si ad mores transferamus hanc generationẽ, bestialis & monstruosa est, contra naturam speciei, eius ordinem invertens; peccatũ ergò quod gignitur moraliter tunc monstrum horrendum est, adeò quod secundum Aristotelem 7. Ethic. cap. 1. & D. Th. in 4. sent. distinct. 13. q. 2. art. 2. ad 1. ponatur extra numerum aliarum humanarum malitiarum. Alia multa reperiuntur monstra qualia recenset Aristoteles 7. Eth. & D. Th. ibidem l. 5. ad quas remitto lectorem. Admissis mõstris in moralibus dico illorum quodlibet habere suam speciem non minùs quàm habent monstra in naturalibus: cùm enim talia ponantur in genere peccati, non est intelligibile quod rationem peccati non habeant in aliquâ specie contractam & componantur condistincta contra alias malitias humanas, censenda sunt habere proprias species & proprias differentias; ex quo facile patet qualiter quis teneatur ea confiteri: vel enim sunt monstra uniformia vel sunt variformia, si uniformia ut est monstrũ iã prænominatum, quippe unius speciei, taliter explicãda sunt in Confessione, si sunt variformia id est habentia diversas species, qualia recenset D. Th. in loco citat. ex 7. Eth. & Caietanus in Comm. art. 11. q. 154. 1. 2. part. taliter explicanda sunt in Confessione. Hæc sunt quæ nunc occurrunt dubiis propositis respõdenda, quæ si non satisfaciant mihi adhùc minus versato in moralibus venia detur, in aliis etenim rebus occupor nec occasio se præbet ut ad moralia diligentiùs attendam. Lovanii in Collegio S. Ioannis Baptistæ FFrum hibernorum Ord. Prædicatorum 20. Februarii 1653.

EPISTO-

EPISTOLA VII.

Reverendi admodum & eximii D.D. Iosephi Costaltæ: olim in Vniversitate Placentinâ Theologiæ Moralis Professoris Primarii: & nunc Sublacensis Monasterii Prioris.

Illustrissime & Reverendiss. D. Domine colendissime.



INgenium quo maius non veneratur Europa, vel proprio genio, adoraturus, Pragam advenio. Quod olim Romæ Tito Livio contigit, hoc idem Pragæ Ioanni Caramueli. Quid? Fallor. Iberos & Gallos traxit Livius. Europeos omnes Caramuel. Eloquentiæ fontem inspêxere illi; Encyclopediæ Oceanum isti. Pyrrhi gemma, Plinii arbor, Homeri Proteus, fabulæ mihi erant. Hæc iam credo facta, qui nunc admiror maiora. His Caramuel conciliat fidem, sed detrahit miraculum. Qui gratiarum imbres in omnes sparguntur, in te Illustr. Domine, mixti fluunt. O magnum, ô pretiosum Unionem! Non invenio parem. Nunquam Oriens sic grandinavit. Nunquam pretiosiorem Cleopatra vidit. Solem te nuncuparem ni tibi iniurius viderer. Galilæi arte (quis credat?) intuemur nigras in sole labes. Mercurium meum iratum habeam, si quid obscurum in te unquam viderim.

Moralia cœlestia contemplanti in septimo Dianæ Orbe, novum sidus mihi illuxisti. O diem albo signandum lapillo? Nunquã felicius Moralia meditatus. Vt vidi, ut deperii? Cæcorum error est, non amare lucem. At quæ lux? Bacchantis instar, sed amantis, Theologiam Regularem quæro, invenio, apprehendo. Externa intuitus mihi videre videbar Amphitheatrum, in quo de palmâ de-

certarent Tullius, Ptolomæus, Stagirita, Iustinianus, Moyses, Aquinas. At intima scrutatus sanctum Pantheon reperii, adverti, adoravi. Hic Basilii, Augustini, Benedicti; illic Bernardi, Francisci Oracula explicabantur. O ter Maximum Caramuelem! En tibi submittunt & ora, & calamos cæteri Interpretes. Aperto fatentur ore, Ioannis esse divina arcana revelare.

Theologiam Regularem vix perlegeram cum Moralem Româ Placentiæ excepi. Quid mirum? Vel libris inest sympathica vis, & Placentinis Roma semper gratiarum fœcunda. Tantum miraculum non privata domus, sed publicum theatrum decebat. Sedens primus in Universitate Theologorum Placentinâ, emulata in me Deum, qui quos non dignos reperit, dignos ipse facit, Theologiam Moralem Oculis Lynceis penetrandam exhibui. Ante hunc diem Caramuelis fama Placentiam non advenerat. Novitas curiosos omnium oculos convertit. In libro quot caracteres, tot stellas admirata Universitas, exclamat. Verè Ioannes est Aquila. Cœli vias adiit, quas nemo hucùsque libera posuit vestigia primus. Gloriæ attigit verticem. Absit verbo iactantia, Stellarum Caramuelisticarum Placentiæ Galilæus fui.

Duabus gratiis tertia se iungit. Tuam Theologiam fundamentalem, Romæ instantaneus hospes, video, non lego. Quam lætè, quam avidè vidi fundamenta tua in Montibus sanctis! Omnia vota coniunxissem, si legere licuisset.

Hæc sunt Caramuelistica sidera, quæ ad invidiam fortunatus inspexi. Sidera neget, qui influxu non gaudet, Doctor, vel Iupiter, vel Saturnus. Te Iovem experior vir. Utinam expertus adolescens. Feliciùs didicissem. Feliciùs docuissem. Da Platones, dabo Stagiritas. Theologiam Regularem, & Moralem, ut Argus teneo. Fundamentalem desidero. Desidero? Cuncti desiderant. Thesauros ostendis, & avari non erimus? At magis Avari tui Typographi.

Encyclopediam quam polliceris, Italia prestolatur. Mitto Casinatum Aquinas eris. Unus (si verum liceat dixisse) mihi es multorum instar. In tuis principiis, hæreditarias plurimorum conclusiones intueor. Ars longa, vita brevis. Cur vetera rescribimus? Cur mutamus quadrata rotundis? Ingenia acuamus non ungues. Novis studeamus. Nova molitum gloria coronat. Argo,

Miner-

Minervæ, Navi, Cœlum est Portus. Aquilæ simus, non oves. Si cadendum est, Cœlo cadamus. Icari conatus suo vivit interitu. Ingenio quis ponat metas? Hercules columnas erexit, Columbus evertit. Mi Iupiter, quantum tibi debeo! provolvat Sisyphus saxum; Ætnæ supponatur Enceladis; Cœlum fulciat Atlas. Hæc onera semper erunt meo leviora. Ex quo tua legi, hoc unum scio, quod nihil scio. Quid grati afferam, ne ingratus decedam? Referam gratias? quæ gratiæ tuis æquales? Agam? Ego ne Tullius? Quid igitur? Habeo gratias, sed æternas. Quod possum, do, si non possum, quod debeo. Devincto servo impera. Monasterii Sublacensis Prior sum, oneri licet, & honori impar. Sublatum dum audis, Benedicti Capitolium cogita. Carnem, Demonem, mundum triumphatos ad testimonium cito. A sublacu quot diademata, quot thiaræ, quot laureæ, quot sceptra, quot trophea! In hoc fonte Oceanum comprehendo. At quid loquor? lucem Soli defero? o me fortunatum, si hic te hospitem haberem! sacrum Benedicti specum Principes, Imperatores, Pontifices adoravêre. Sublacensium gloriæ unus deest Caramuel. Vive Ingeniorum Phœnix. In Sublacensi Monasterio die 14. Augusti 1653. Augustum Caramuelem reverebatur humillimus &c.

EPISTOLA VIII.

Eidem eximio & Reverendo adm. Domino D. Iosepho Costalta: &c. Caramuel.

Eximie ac Reverende admodum Domine.



INferiores à Superioribus Angelis lumine Cœlesti suffundi, Dionysius Areopagi Senator, & posteà D. Pauli discipulus, clarissimis verbis affirmat: at spiritualis luminationis modum obscurissimis implicat, gravidis & ambiguis involvit. Hinc orta Theologorum dissidia: quorum aliqui ad temperamentum, & aliqui ad elevatio-

nem recurrunt. Contingit luminatio inquiunt illi, cùm Ordinis Superioris Angelus intellectualem lucem suam capacitati inferioris attemperat, & sese exinaniendo quodammodo similem reddit luminando Spiritui. Contingit luminatio, aiunt isti, cùm Seraphimus v.gr. lucem adquisitum divinitùs, Angelo inferiori communicat, communicando perficit, perficiendo elevat, & elevando sibi similem reddit.

Hærebam anceps, & utris subscriberem nesciens, literas tuas recipio, & luminor, & quid apud Homines eveniat sentiens, quid cœlitùs agatur, timor. Legerat fortè meus Costalta, apud Humanum Erdemanium (si debet ille Humanus dici, qui Cæsarem & Theologiam sinceram tam temerè & audacter invadit) deposuisse in Caramuele Deum *ingenium ut octo, eloquentiam ut quinque, & prudentiam ut duo*: & quoniam istis infectus umbris luce egebat Caramuel, manum Costalta adhibuit, & viâ duplici potuit: aut ingenii, eloquentiæ & prudentiæ thesauros tantùm non infinitos, præfixis ab Erdemanio numeris & limitibus attemperando, ut loqueretur & scriberet, tanquam unus ex nobis: aut etiam Caramuelem honorando, exaltando, illustrando, ut redderet similem sibi. Et Ego Tibi hanc viam posteriorem ingressus, abs Te illustratus gratias habeo; & abs Te exaltatus terram desero, accedere ad Tuæ Sapientiæ Sphœram audeo, manum manui porrigo; & æternæ amicitiæ fœdus ineo, quod religiosè manu-teneam, non solùm quamdiu vixero, sed quamdiu fuero: est enim Animorum & non corporum amicitiæ religio, & Animi mortis sum nescii.

Nunc igitur, Costalta mi, tuâ amicitiâ honoratus, & quia amicorum omnia communia sunt, ingenii tui vivacitate & divinitate perfusus, ne imprudens sim, humanissimas literas Tuas veneror & exosculor; & quia doctrinâ tuâ sum doctus, multum hodie mihi arrogo, multum confido. Mirabar heri apices singulos, & quia tot succurrebant acumina, quot literæ; hærebam: at iam à meo Costaltâ, Angelo nobilioris Ordinis illuminatus, omnia intelligo. Et, ut videas, quantum vel unâ die Te instituente didicerim, singula expono.

Esto Caramuel Pyrrhi gemma, Plinii arbos, Homeri Proteus, Unio, Sol, aut etiam si velis Mercurius. Quid hîc Ego? Gemmis Unionibusque pretium dederit raritas, Arbores magno Pictorum & Poëta-

Poëtarum miraculo frondes argenteas aut poma aurea in Iberiâ protulerint, si error Principum exsit, & obtineat sinceritas, cedent perfectione formicæ. Ergo formica erit Caramuel, & de Sapientiæ Tuæ horreis grana (hoc est, Scientias, Artes, Notitias) excipiens auribus, perlegens oculis, Encyclopædiam sibi congeret cautus & providus, ut possit universis prodesse. Et, si apud Græcos Proteus, & apud Latinos Vertumnus dicantur fuisse census Humani Camaleontes, inconstantes & mobiles, ab Æolo pasti, & ab Aurâ innutriti: Caramuel Proteus, Vertumnus, & Camaleon erit: vel, qui decredat, eius Fundamentalem Theologiam evolvat, in quâ vix lineam reperiet stabilem, vix unicam periodum fixam. Omnibus Viris doctis hunc librum scripsit Caramuel, & omnia omnibus factus, dum omnium ideas ebibit, & Genios diversos aut etiam adversos componit, Proteus est; & dum ab aëre pendet in obscuris, eodem vento in orientem & occidentem navigat, & sub ignorantiæ specioso colore Camaleonti simillimus se decolorat, ut adcoloret alios, quorum mentes Apelles excellentior depinxit.

Solem Caramuelem Castalta, Solem Humanus dixit: & me monet hîc ultimus, quo debeam sensu alterum intelligere. Sol omnium Cœlestium motuum, & in materialium rerum Ordine causa prima, Lunam promovet, & illa favorum oblita eumdem invadit, & quà potest eclipsat. Et stando huic conceptui, erit Caramuel Sol; sed eclipsim frequentissimè passus, ab eorum videlicet ingratitudine, quos ille docet, promovet, aut etiam iuvare non cessat. Ego libros, quos contemno, non lego: quos non lego, non habeo: & Caramuelis æmuli, libros eius magno impendio conquirunt, magnâ assistentiâ legunt, & obmurmurant tandem: quorum tamen obloquutio susurra ditat Typographos & Bibliopolas, & ritu ethnico instituta videtur, ut non noceat, sed faveat potiùs Soli deliquium & tenebras passo.

Ad Mercurium progredior, & in illo etiam Caramuelem reperio. Adulterini nummi obtinent sub crepusculum: & Mercatores obscuras habent officinas interdum, ut faciliùs ea vendant, quæ sunt materiæ minùs probæ. Ecce pinxi Mercurium. Videri non vult sub meridiem, non vult sub mediam noctem; Solem sequitur, & luce alienâ dives percellit oculos, si matutinus in Auroræ cubili, aut Vespertinus in Noctis vestibulo appareat. Maximus credebatur

tur ab omnibus, quousque à Gassendo, Astronomorum Aquilâ, visus in Apollinis facie, tantillus fuit, ut contemni potuerit. Et Caramuel Cœli literarii est Mercurius. Amor est cœcus; &, si amicitiæ Aurora, aut Vesper æmulationis faveat, inter dubia lucis & noctis phasmata videtur magnus. Splendet alienâ luce; nimirùm, Socratis, Platonis, Stagiritæ, Ptolemæi: nec non Dionysii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Benedicti, Bernardi, Aquinatis, quos sequitur; luce etiam Iosephi Costaltæ, nec non aliorum ingeniorum nobiliũ quorum illustratur favore, & benevolentiâ honoratur. Si agamus de materiâ probabili vel dubiâ, fortè magnus videbitur Caramuel: magna enim ille dubia & magnas ignorantias habet. Sed, si veniatur ad Scientiarum meridiem, si in Moralibus evidentiæ & demonstrationes postulentur, quàm sit parvus Caramuel eius Theologia Fundamentalis demonstrabit, in quâ inter Olympum & Tellurem medius à vento & impulsu diversarum Scholarum seductus, ignorat quid resolvere debeat.

Iste est, Costalta mi, Caramuel tuus: Homo Platonicus, quem definisti, Animal bipes & implume: Animal; quia dum sensa exponit sua, à sensibus adquisitâ notitiâ, maximâ ex parte gubernatur; quod vidisti clarissimè in eius Audaci Mathesi, quæ Divina & humania omnia ad circinum & lineam reducit: quod perspicies apertiùs in eius Philosophiâ Artificiali, quam Francofurtenses iam imprimunt. Bipes; quia licèt cœlo natus (sic sperat) terræ adhæret, & mavult per tellurem serpere & sequi Gentilium Apostolum invisibilia Dei per hæc, quæ facta sunt (terrena & materialia) edificantem, quàm Cretæ Theologicæ Icaros, qui remigio alarum se credunt vento, & Conclusiones suas aëre (hoc est, chimœris, & entibus rationis) fulciunt. Est implumis: nam veritatem sequitur, non ornatum; &, si ornare orationem contingat, Patrum utitur plumis, non enim sibi arrogat præmissas ponere; id enim Canonicorum & & Veterum Authorum est, non Recentiorum. Quid igitur agit Caramuel? Gratias omnibus, si permittatur esse severus Logicus, & à fundamentis securis necessarias consequentias inferre. Et quia inter alias plumas, tuæ illi tandem aliquando innotuerunt, ut & ornetur illis, hanc tibi novam & curiosam Quæstionem, quæ de circumstantiis aggravantibus & mutantibus speciem est, dissolvendam pro-

proponit, paratus respondere quotiescumque volueris eum dubii alicuius rogatione honorare. Vale eloquentissime & doctissime Vir, & diligere perge tuum humillimum servum Caramuelem.

EPSTOLA IX.

Eximii & Clarissimi Domini, Domini Petri Francisci Passerini, in Universitate Placentinâ primarii Theologiæ Moralis Professoris.

Illustrissime & Reverendiss. D. Domine semper colendissime.



TA ne, quandoquidem coram alloqui nequeo, per literas aliquando Magnum Caramuelem non adibo, quem toties meis in prælectionibus in hâc antiquissimâ Placentinorum Academiâ, ubi Theologiam Moralem publicè profiteor reverenter appello? quem sæpissimè in opere meo de Pollutione Ecclesiarum, earumque Reconciliatione è prælo in lucem iam iam prodituro constantissimè propugno? & quem semper in omnibus tanti facio, ut Caramuelista, de quo sincerè, & summoperè glorior, non immeritò passim dicar? adibo, & adorabo literarum, literatorumque non decus tantùm, sed propemodum Deum, vel certè Theologiæ, & Moralis noster in primis solem verè solum, quia parem non habet, quemque in Tractatu meo de Horis Canonicis ita intuitus sum, & insecutus, ut Caramuelis Heliotropium viderer. Egi anno proximè præterito de legibus, sed Bone Deus, quantum tibi Ego, quantum Auditores omnes, quantum hæc ipsa naturalis debet, quam divinitùs Deo restituisti, & increatam præstitisti? Neminem, qui in tam difficili quæstione placuerit, inveni præter Te, & Sfortiam Pallavicinum acutissimum Theologiæ Professorem in Collegio Romano Societatis Iesu, qui in suis assertionibus Theologicis nobiscum acerrimè stat. Quid plura? ut Te verè ingeniosissimorum perspicatissimum suspi-

cio, ita me ingenuorum Servorum Tuorum postremum ne despicias, suppliciter oro. Theologiam Tuam tam Moralem, quam Regularem iam habeo, Fundamentalem in horas potiùs, quàm in dies expecto Ratisbonâ, quam cum Tuis omnibus, ut rem mihi omnium gratissimam faceret, emit, emetque, si quid aliud in lucem edidisti, aut in posterum edes, Antonius Bartolinus civis meus Cæsareus Lyricen, qui meas hasce ad Te perferendas amantissimè curabit. Non omnes, immò pauciores Tua principia capiunt Eminentissime Vir, ideòque allatrant aliquando, qui apud se scioli, apud Te aselli comparent. Vive diù, ut vel invidiam vincas: benè vale, ut diù vivas, meque tibi semper futurum scias Devotissimum &c. Placentiæ 2. Novembris 1653.

EPISTOLA X.

Eidem Eximio & Clarissimo Domino, D. Petro Francisco Passerino, &c.

Eximie & Clarissime Domine.



VOD fœlix faustumq; sit, totum hodie Passerinum recepi. Totum-ne? totum, quia speciem Corporis exsculptam à Ioanne Picino, & speciem Animi eiusdem Passerini calamo in Epistolâ humanissimâ & doctissimâ expressam. In Icone conspicio frontem spaciosam & magnã, quæ statim prodit scientiarum thesauros, quos complectitur: oculos plenos animâ, plenos vitâ, qui vel tacente linguâ, divinitùs loqui videntur: fractas labore improbo genas, qui enim negligens sit, frustrà ingenio & memoriæ confidit. Transeo ad Epistolam; & eam Charites acupinxisse video, Musas ornasse. Rarus hodie, qui doctrinam eloquentiæ maritat, at Passerinus inter raros subtilissimus & eloquentissimus. Nulla est in illâ lineâ, quæ non ponat ob oculos summam Authoris Probitatem, Sinceritatem, Gravitatem: ingenium, studium, & affectum adver-

adversus Caramuelem summum. Ergo Caramuel auctus tanti Viri amicitiâ, nulli triumphanti Cæsari, nulli orbem moderanti Monarchæ, nulli Duci Invidiam prosternenti invidebit: talem enim adquisivisse amicum, triumphus est: tantum obtinuisse Patronum, Imperium est: & à tam forti defendi calamo, excidium æmulorum est. Interim, quia Lex naturalis à Scoto, ab eiusdem universis Discipulis, à P. Sfortiâ Pallavicino, & etiam à Caramuele asserta Deo, tibi perplacet, quàm ego generosè de Deo sentiam, paucis verbis subscribo.

DEi nomine intelligo naturam summam, cui nemo iura, nemo leges indicit: & hanc ob rem, si per impossibile Lex naturalis, quam vocant, non à Deo, sed à Naturâ aliâ penderet, quæ Deo, quem hucusq; adoravi, Iura diceret, ad illam superiorem Naturam vela Religionis dirigerem, illam vocarem Numen, *illam* Deum, *& aliam quamcumque Naturam, etsi immensa aut infinita diceretur, negarem esse Deum, & voce altiore ad eam conversus dicerem,* Conservus tuus sum: Deum adora. *Apoc.19.b.10.*

Deus igitur non solùm est causa prima systematis naturalis, sed etiam supernaturalis: non solùm realis, sed etiam moralis. Tolle Naturam primam & omnes naturas secundarias substuleris: tolle Gratiam primam, & nullas dotes supernaturales reliqueris: tolle Legislatorem summum, & nullam legem moralem in orbe terrarum invenies: nam, si per impossibile non esset Deus, & tamen essent homines, possent isti lege pœnali, hoc est, violentâ coërceri, non verò aliquâ, quæ posset à pœnâ præscindi & verè nominari moralis.

Nec contra istam doctrinam militat D. Thomas, quem non libenter desero aut impugno: nam Thomistæ verbis puris à nobis differunt, & tertiâ nobiscum periodo sentiunt, aut sentire coguntur. Testatur id Franciscus Sylvius, Thomista Optimus, quem vel invitum, ut in Theologiâ Morali videris, ad nostram sententiam perduco.

Hæc est doctrina primò vera, quam tamen pauci capiunt, & multi dissentaneam existimant, & inter multos, nescio quo fato, Diana & Bossius, optimi amici mei, in re tam manifestâ cæcutiunt. Diana Part.9.tract.8.resol.59. rogat, *An fornicatio sit intrinsecè mala, an tantùm mala quia prohibita?* & Bossius tomo 3. titul.14. ut omnium animos excitet hanc epigraphen ponit. *De morali malitiâ simplici*

pollutioni & fornicationi intrinsecâ adversus Ioannem Caramuelem. Et §.1. immediatè subsequenti inquirit, *An mollities seu simplex pollutio, ex sui naturâ & iure naturali sit moraliter mala & peccatum: an verò solùm, quia iure divino positivo prohibita?* Illi respondi in Theologiâ Fundamentali cap.2. Fund.12. num.321. huic in Quæstione Theologicâ additâ eidem Theologiæ Fundamentali Epist.1. pag.745. Uterque Caramuelem iniuriis onerat; & quia iniuriæ ab amicis receptæ, honores sunt, etiam honorant. Vide, quæso, Passerine mi, quàm pulchrè alteruter hallucinetur! quàm ipsi mirabiliter intexant & distinguant terminos, & has præcipuè voces, *Malitia intrinseca; Prohibitio divina: Ius naturale, & Ius Divinum positivum!* Considera, quàm peregrinâ illi Logicâ ex uno præiudicio proprio ex aliquorum Thomistarum orto placitis, & unâ propositione Caramuelis (& etiam Scoti, Scotistarum, & iam etiam Passerini & Sfortiæ) inferant positionem erroneam, quam meritò damnent & improbent, quam tamen immeritò adfingant Scoto aut Caramueli. Cur hîc plura. Lege quæso Bossium, & multa in ejus libris bona, me applaudente & laudante, reperies: at illos binos Titulos, iniuriis plenos. Sed non turberis, quibus ego non turbor; quia personalibus, quibus me oppetiit, nil repono; & ad Titulum illum XXIV. respondi & respondeo istis verbis. *Poterit D. Ioannes Angelus Bossius, quia doctus est; & debebit, quia pius & probus est, sumere novum calamum, & omnes illius Tituli lineas à primâ ad ultimam delere; impugnat enim ea, quæ fortè aliquis dixerit, sed nunquam scripsit, dixit aut somniavit Caramuel: vel si obniti adhuc placeat, ostendat locum aliquem, quo probet Caramuelis esse doctrinam, quam cum tanto strepitu illi adfingit.* Spero à Viro Optimo, quod curabit illum tertium Tomum aliquando recudi; & in Titulo illo priori aget urbaniùs, & totum illum posteriorem expunget. Ut igitur mentem Caramuelis Bossius videat (siquidem eius libri sunt magni, nec possunt à Viris Magnis legi, sic scribo. *Mollities seu simplex pollutio (idemque dixero de compositâ: idem de fornicatione & adulterio: idem de homicidio, furto: &c.) humanitùs considerata est intrinsecè mala (hoc est habet primam malitiam à Decretis & Legibus hominum independentem: sublatis enim omnibus Humanis legibus adhuc maneret peccaminosa & mala.) At divinitùs considerata, est extrinsecè mala (hoc est, habet malitiam à Dei volun-*

voluntate pendentem: sublatâ enim omni interdictione divinâ, necesset peccatum nec theologicè mala.) *Hodie est mala, quia opponitur legi Naturali: hodie est mala, quia opponitur Iuri Divino positivo: Ius enim Naturale & Divinum sunt unum & idem formalissimè Ius: quod vocatur Divinum sumptâ denominatione à Legislatore qui est Deus: & Naturale, sumptâ denominatione iterum à Legislatore, qui est Natura naturans; aut etiam à nativitate; est enim Ius æternum: & in terris cum Hominibus natum, digito Dei cordibus singulorum inscriptum, ut optimè Augustinus & alii multi Patres, quos sequitur Scotus, edisserunt.* Rem sic intelligo: & quia à me stas, veritatem hanc magno testimonio confirmo.

Novam hanc & curiosam Quæstionem, quæ de Circumstantiis aggravantibus, & speciem addentibus aut mutantibus est, adiungo, & à Te resolvi desidero, est enim fundamentalis, & quæ multas Ectheses parturit, & ideò debet resolvi accuratè & perfectè. Libros in Belgio impressos vix habeo: editos in Germaniâ mittam, & quia concredi debent Æoli & Neptuni inclementiis, (mittuntur enim Pragâ Francofurtum: & Francofurto iterùm Pragam, Amburgum, Amstelodamum, Venetias, Romam, & hætent in viâ multis mensibus) non illos Castori & Polluci, sed Maris Stellæ, & Antonio Paduano commendo: oroque Deum, ut *Te* ad sui maiorem gloriam salvum & incolumem servare dignetur multis annis.



EPISTOLA XI.



Ræcipua Autoris Quæstio est, quomodo intelligenda sint verba Tridentini Sess.14. c.5. *Eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Vbi Autor multa subtiliter de specificâ differentiâ rerum: Ego pro Regulâ universali semper adhibui & docui hanc; *Illa differunt specie, quæ differunt plus quam numero*; sic tamen, si differentia plusquam numerica sit accidentalis, ut differant *specie accidentali*; si essentialis, *specie essentiali.* Hinc Æthiops & Europæus differunt specie, sed accidentali; maiori tamen accidentali specie differunt, quam Italus & Germanus; & hi maiore quam Bavarus & Saxo; quàm Pragensis & Pilsnensis; quàm Vetero-Pragensis & Neo-Pragensis; &c. Vnde cùm Tridentinum velit explicari *speciem peccati*, dubitari posset an petat speciem accidentalem facti, an essentialem?

Verùm non puto Quæstionem hanc huc revocandam esse, aut iuxta subtilitates specierum Logicalium aut Physicalium examinandam: quando enim de specie peccati est sermo, agitur de illâ apparentiâ & æstimatione peccati, quâ vulgò dicimus rem quampiam aliter narratam habere *aliam speciem*, id est, aspectum, formam & considerationem in hominum æstimatione. Quid autem eiusmodi species & *facies rei* importet aut velit, optimè discernunt Iuristæ & Medici, quorum similitudine utor, quia Confessarius Vtriusque personam sustinet, sicut pœnitens personam rei & infirmi. Sicut ergo Iudex reum homicidii aliter iudicat si homicidium factum sit à semipoto, à stulto, ab irritato, à defendente se, ab invadente legitimè hostem Reip. si commissum per assinatum, per latrocinium; si in personam Regis, Patris, Vxoris; si per procuratum abortum &c. singulæ enim hæ circumstantiæ mutant *speciem facti*, etsi ubique sit violatio 5. præcepti, ita & iudex in Confessione petit explicari *circumstantias, quæ mutant speciem peccati*, nec enim potest condonare, nisi quod sibi est cognitum & prout est cognitum. Simili

mili

mili modo agit & medicus: nec enim ſatis eſt ei dicere: doleo caput, ſana me; ſed requiritur, ut explicet an dolor ſit ex febri, ex catarrho, ex crapulâ, ex ieiunio, ex percuſſione? an dolor inveteratus, an recens? imò non facilè ſanabit, niſi medicus habeat, ut loquimur, ocularem inſpectionem ſtatûs infirmi ſui, ſæpè enim detegit circumſtantiam maximi momenti, quam infirmus putaret eſſe minimam.

Idem eſto iudicium de Sacramentali Confeſſione, ubi aperuiſſe ſe infirmitatem ſanari eſt, accedente voluntate ſanandi in medico ſpirituali.

Hinc ſacerdotes veteris legis in ordine ad remiſſionem peccati comparantur iudici. Levit. 6. v. 6. *anima quæ peccaverit &c. offeret arietem de grege, & dabit eum ſacerdoti, iuxta æſtimationem menſuramque delicti, qui rogabit pro eo.* Ioſephus l. 3. Antiq. cap. 10. *qui ſciens, inquit, peccavit nemine conſcio, arietem offert.* Ergo ſacerdos occulti peccati debebat facere iudicialem æſtimationem teſte Ioſepho, qui praxim legis optimè ſciebat; ſicut & Philo eamdem legem accipit de periurio occulto. Ergo periurium occultum debebat explicari ſacerdoti, & omnes eius circumſtantiæ ab eo æſtimari. Rursùs Deuteron. 17. v. 8. iubetur ſacerdos iudicare *inter ſanguinem & ſanguinem, lepram & lepram.* Alibi iubetur inſpicere locum & capillos lepræ, pannos menſtruatæ &c. quæ omnia ex mente SS. Patrum tamquã typi ſunt ſacramenti Confeſſionis. Hinc ſicut iſti infirmi iubebantur oſtendere ſe ſacerdoti, ſic peccatores iubentur explicare omnia *quorum habent conſcientiam*; his enim verbis utitur Tridentinum, quis autem dubitet, quin alia conſcientia ſit eius, qui peccavit cum matre, quam cum ſcorto, de hoc enim forte gloriabitur palam, at illud ſecretum vix ſibi ipſi credet.

Vnde patet quid dicendum ſit ad 4. priora quæſita Autoris: nam illa ſunt aperienda, quæ Iudex aut medicus iudicarent mutare *ſpeciem facti* aut *ſtatum infirmi.*

Similiter ad quintum quia ſpecies facti alia eſt, quando extendit ſe ad 5. occidendos, quàm ad unum, explicanda erit; etſi ignoret pœnitens habueritne 5. actus an unum, aut an ille unus actus ſint 5. peccata an unicum.

Eodem

Eodem modo solvitur quæstio, de modo, quo confiteri debeat procus, aut meretrix 12. annis prostituta. Sicut enim iudex scit huius statum, etsi numerata non habeat singula crimina, quæ ordinario in tali statu committuntur; ita nec meretrix censetur quidpiam celasse, quando dicit se 12. annis exposuisse aut uni in concubinam, aut passim omnibus conjugatis & liberis, etsi numerata non habeat omnia oscula meretricia, &c.

De homine bicorpore, an duas habeat animas, an unam, dici potest quodlibet in ordine ad Physicam. In ordine ad moralitatem autem, si eadem membra utriusque voluntate regantur, illa anima peccabit quæ V.C. volet lascivire; quæ verò nolet, innocens est, defectu consensûs. Hinc altera poterit velle vovere, quod altera recusat.

De damnatione autem unius, & alterius salute; ac de corporis communis rixâ, nulla nova est quæstio, quæ pridem agitata non sit cum Atheis & Sadducæis quærentibus, ubi suum corpus inventurus sit Martyr, quem barbari infideles vorarint? In adultis nulla est difficultas, ut inveniatur materia corporis mei V.C. etsi decies me comedissent Antropophagi. Nullus enim 40. aut 50. annis vixit, quin se ipsum sæpiùs deperdiderit exceptis ossibus fortassis. Nam aiunt medici forsan non pauciora per evaporationem insensibilem ex animali deperdi, quam excernantur per alvum. Proinde si omnia, quæ anima mea aliquando informavit, deberent resurgere, nulla turris forsan tantæ corporis moli par esset. Et tamen, etsi toties mutatus à me ipso, semper sum idem ego. Et infans idem erit homo, si omnem illam materiam simul acquirat, quam per 20. annos comedendo & crescendo sibi erat assumpturus. Sicut ergo infanti providebitur in resurrectione de materiâ illi aptâ ita & bianimæ homini; sicut & Adamo provisum fuit de carne loco costæ, manente eodem Adamo.

De actibus iisdem meritoriis & peccaminosis simul, non videtur posse dubitari quin esse nequeant, ex illo principio univer-

niversali: *bonum est ex integrâ causâ.* Talis ergo actus semper dicendus est malus. Sicut non potest eadem linea esse recta & curva quin totum absolutè sit curvum.

An autem, quod 14. quæritur, possit peccari contra legem humanam, non peccando contra divinam, nescio an satis intelligam. Potest enim quæri 1. an omni legi humanæ positivæ scriptæ sit annexum divinum præceptum? & sic responderi potest, annecti: quia 4. præceptum Decalogi mandat ut obediamus Præpositis nostris.

2. Quæri potest (ut verbis Autoris utar) an dentur *humanorum actuum conformatrices leges, contra quas peccare possim non peccando contra legem divinam?*

Et Respondeo dari præter legem divinam, legem Naturæ. Scio quosdam studiosè agere ut legem naturæ evertant, & ut omnia revocent ad legem divinam positivam, de quâ deinde dubitabunt, an, ubi, quando Deus locutus sit &c. & huc videtur curiosus noster Quæsitor maximè collimare. Dico igitur Deo nos obedire, quia Lex naturæ priùs præcepit Deo obediendum esse, quam legem nisi habuisset & cognovisset Adam, quomodo judicasset se debere abstinere ab esu ligni? Sicut ergo natura dat lumen, quo cognosco Deum esse, & Deum mihi revelare quidpiam aut loqui, sic eadem natura dictat debere meam voluntatem & executionem voluntati eiusdem divini numinis esse conformem. Et illa eadem natura dictat quid cuivis naturæ sit æquum aut iniquum. Utque in simili rem explicem, Lex Naturæ respondet axiomatibus Philosophicis, quæ partim vocamus (à tot sæculis) lumine Naturæ nota; nam quando Logicus facit syllogismum in *Barbara,* v. c. multa quidem ei præcepta observanda sunt, sed in omnibus dirigitur ad præceptorum illorum observationem à quodam præcepto universali Naturali: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, quod nulla ratio, sed solùm Naturæ insitum dictamen persuasit. Et ut finiam, fieri potest ut quis solam Naturam offendat ignorans omne præceptum divinum positivum, sicut fieri potest, ut aliquis sit bonus lo-

gicus benè ſyllogiſans ex ſolis luminibus naturæ ; etſi ignoret omnia præcepta Ariſtotelica. Hæc habui ad propoſitam Quæſtionem Curioſam dicenda , optarem autem , ut ille curioſus indagator imitaretur potius illos, qui dicuntur Actorum 19. Curioſa ſectati.

FINIS.



OMNIUM
OPERUM
CARAMUELIS
CATALOGUS.



AUTHOR.



Ultos Libros & varios, diverso typo & formâ, prout tempora tulerunt, edidi. Multa scripsi, quæ nondum lucem vident; & posse prodesse videntur. Novam omnium editionem exorno; &, ne Libros separari contingat, magnâ illos arte & studio concateno; ita ut posteriores frequenter Lectorem ad priores remittant, isti iterùm ad illos reducant; ut omnibus censeatur carere, qui caret aliquo. Claritatis eos majoris gratiâ ad novem Classes redigo; & novem Cursus (I. Liberalem, II. Mathematicum, III. Musicum, IV. Chirosophicum, V. Philosophicum, VI. Theologicum Scholasticum, VII. Moralem Philosophicum, VIII. Moralem Theologicum, & IX. Scripturarium) instituo: & singulos ob oculos pono.

CUR-

CVRSVS LIBERALIS.



Omnes artes complectitur, quas ingenuas vocamus, omnes Inertias aut Artes malas expugnat; Inter eximias præcipuè judicantur.

Orthologia: De variâ pronunciatione literarum, ubi multis consultis nationibus, multis ætatibus plurima curiosa expenduntur.

Orthographia: De variis figuris literarum, quæ in Orbe terrarum hodie apud varias nationes sunt in usu.

Polygraphia. De transfiguratione literarum, & earumdem potestate secreta. Est Liber summè necessarius Principibus & ciphras multas & valde curiosas & securas complectitur.

Steganographia. Est Scientia Polygraphiâ nobilior, & ita secretiorem scribendi methodum promovet, ut ubi maximè secretum est, nulla ibi videatur suspicio secreti subesse. Hâc arte, ut de rebus arcanis amicos admoneamus, quamcumque Ciceronis aut alterius Authoris Epistolam ad quemcumque mittimus, intelligimur; illi ad nos aut eandem, aut aliam remittunt, & intelliguntur. Hâc arte ad integrum Senatum unicam Epistolam scribere possumus, in quâ singuli diversa, quæ voluerimus, exactè capiant, & tamen non se intelligant mutuò.

Mirabilis olim fuit Joannis Trithemij Abbatis in ciphris inveniendis felicitas, & æquè mira illius ævi ignorantia; condemnatur enim à multis, à quibus intellectus non fuit. Hoc fuit ætatis priscæ ingenium: hoc est nostræ; *pauca legere, pauciora intelligere, omnia aut ferè damnare.* At ante annos viginti strinxi calamum, & Trithemiũ tutatus, Steganographiam, non jam inertiam nigromanticam, sed ingenuam & liberalem artem esse ostendi. Hanc nunc Apolysin multùm auctam exhibeo, & mirabilia arcana in genere literario produco.

Notaria Ars. Quantum distant Notæ à Literis explicat. Ponit Notas artificiosas, quibus quis uti possit, ut uno solo charactere quamcumque dictionem scribat. Hic scribendi modus adhuc est in usu apud Sinas, quorum omnes facultates & Scientiæ videntur esse Abecedariæ, & in Regione illa doctissimi, qui meliùs scribunt aut legunt. Posset ad methodum & regulas reduci hæc facultas, & tunc non deberet contemni. Dum tu alias notas breviores & meliores efformas, meis inventis fruere, & omnia calamo, qui linguâ sit velocior, scribes.

Grammatica Hispanica. Ostendit Hispanorum Idioma frustrà hucusque ad Latini leges coactum, aliter doceri debuisse. Multa hîc Germanus, Belga, Gallus, Italus, multa alij, unde possint propriæ Linguæ Institutiones reformare.

Grammatica Latina. Hanc scripsi pueris nostris condolẽs septem

aut novem etiam annorum dispendio condemnatis. Puto formam totius Linguæ Latinæ à clari ingenii juvene posse horâ intelligi, & mense addisci, si istæ novæ Institutiones admittantur. Puto materiam faciliùs adquirendam, si etiam arte tradatur.

Hispanus sum, & quia Hispanis scribo Linguam Hispanam Latinæ seu Romanę anteposui, non ut de alteriusutrius excellentiâ & primatu contenderem (de hoc enim alibi) sed, ut ordinem doctrinalem sequutus, eum qui maternam linguam per regulas & artem didicerit, faciliùs edocerem Latinam. Hanc nostri pueri, septem, octo, aut etiam novem annis adquirunt, Græcam verò duobus vel tribus mensibus: & cur? an, quia Græcä est multò difficilior Latina? minimè. Sed quia Latina addiscitur priùs, Græca posteriùs; nam si inverso traderentur ordine, in Græcâ consumerentur anni multi, & in Latinâ menses pauci. Ergo tradatur priùs Lingua materna ex arte & regulis, quam unusquisque addiscere posse videtur unâ hebdomade: & si hãc semel altè percalleat, poterit quodcũque aliud idioma adquirere uno aut altero mense.

Eloquentia Corruptrix. Hîc subscribo Institutiones Linguæ priscę, & ostendo illam fuisse pulcherrimam & regularissimam, omnesq; exceptiones & irregularitates paulatim irrepsisse, non tam suavioris prolationis studio, quàm vulgi ignorantiâ & protervіâ.

Metametrica. Sic eam facultatem dici volui, quæ est Metricâ vulgatâ sublimior. In eâ varij & multiformes Labyrinthi: in ipso & Regulæ (quod huc usque à nemine præstitum est) quibus Carmina Regredientia, Resilientia, Decidentia, Ascendentia, Circuicuntia; Amabæa; item quibus Pro:eos, Martes, Soles, &c. contexamus. Est opus omninò rarum, & novum, quod mirum in modum augeri & exornari poterit, si fundamentis positis insistatur.

Rhetorica. Multa frigidissima, quæ ex Veteribus desumpta, tradebantur, condemnat; figuras troposque nostro ævo & moribus coaptat, & brevissimè Oraturos & Concionaturos instituit, ut cum plausu & authoritate eloquantur.

Memoriæ Ars. Puto Artem memoriæ alterâ indigere memoriâ: interim quid alij dixerint & docuerint examino, & methodum commodissimam trado, quâ possit juvari memoria.

CURSUS MATHEMATICUS.

Ego sæpè, & Viri doctissimi meum, habemus recreationis loco Ir morum Authorum scripta, qui sublimes in Philosophiâ conceptus Mathematum ignoratione macularunt. Hanc ob rem Philosophum in Mathematicis eminere desidero, & ut possit, omnes Artes, quæ in numero, pondere & mensurâ consistunt, ad novam methodum & compendium reduco.

ARITHMETICA. Novis speculationibus ditatur, & brevissimè traditur.

GEOMETRIA. Etiam ipsa ad compendium reducitur.

TRIGONOMETRIA. Non sine novis & plenis ingenio præceptis Triangulos universos resolvit.

LOGARITHMICA. In tres partes dividitur; in primâ Neperiana in secunda Ulacquiana, in tertiâ traditur Enar-

Enarmonica, multò cæteris utilior & præstantior.

ARCHITECTURA ÆDILITIA. Est Ars curiosa, & Publicæ Rei necessaria: Illam in rectam & obliquam divido. De priori plurimos scripsisse reperio, tametsi multa in singulis potuerint poni castigatiùs; at de posteriore vix ullum. Utraq; est valdè utilis & necessaria; quarum, & præcipuè posterioris neglectu, summos in summis Palatijs & Ecclesijs errores committi observamus.

ARCHITECTURA MILITARIS. Agit in primâ parte de Fortalitijs, & illis effossis tormenta, munitiones, & milites addit, ubi multa quæ eisdem propugnandis aut etiam expugnandis servient. Et in secundâ longam mirabilemque obsidionem Pragensis Civitatis, sine muro, sine milite, sine sulphure pyreo, sine tormentis bellicis prodigiosè defensæ, ad rei militaris penitiorem notitiam accuratè recenset.

ASTRONOMIA. Ostendit multa olim à Ptolomæo, multa ab Alphonso Hispaniæ Rege, multa à Copernico, multa à Tychone, & ejus Asseclis Logomontano & Keplero, multa à Lansbergio, multa ab alijs supponi, quæ aut demonstrantur esse falsa, aut non probantur esse vera. Vertit ad causas Physicas oculos, & singula exactissimè expendit. Huc pertinent sequentes Libri.

SPHÆRA. Multa nova & varia recludit, in argumento veteri. Tradit doctrinam communem, quam *Mediam* vocitat. Illam Meditationes Parallacticæ deprimunt; illam exaltant Refractariæ: sine quarũ notitiâ frustrà ad scholas sublimiores proceditur.

SOLIS ET ARTIS ADULTERIA. Doctrinâ generali præmissâ umbris imperat, & miris linearum labyrinthis horas communes repræsentat.

URANIA CRUCIFIXA. Dat novas & faciles hypotheses, in quibus motu cruciformi, omnia, quæque à Veteribus, quæque à Junioribus observata, salvantur. Hic omnis motus rectilineus, hic exclusi omnes circuli; hinc omnes arcus; & tamen salvantur observationes universæ.

PROTEUS COELESTIS. Demonstrat omnia Phænomena quiescente in centro Mundi Terrâ, Lunâ, Mercurio, Venere, Sole, Marte, Jove, aut Saturno salvari: stando rationi & mathesi cognosci veram Mundi faciem non posse: Heliocentricam pulchriorem cæteris, at solam Geocentricam videri sacræ Paginæ consonantiorem, & hanc ob rem Eminentissimorum Cardinalium decreto Scholis Orthodoxis permissam, cæteris quibuscumque rejectis.

ARISTARCHUS. Libellus est summo ingenio scriptus; & ipsius Aristarchi, si Viris magnis, qui eum ediderunt, credimus. Notis indigere fuit visus, & ideò nos Ideas singulas speciali commentario illustravimus.

SELENOGRAPHIA. Est quædam Astronomia Lunaris, oculo in Lunâ posito omnium Planetarum & siderum loca, situm & motum apparentem examinans. Eidem adjungi debuit

PLUTARCHUS LUNARIS, & est *Colloquium de maculis, quæ in Lunæ facie, à Plutarcho conscriptum:* Illud ego Scholijs continuis dilucido, & in ipsis singulorum Philosophorum sensa, severâ disquisitione examino. Hic multa de Montibus, Vallibus, Continente, Oceano, Insulis & fluvijs Lunaribus:

multa de Ventis & Procellis: multa de Pluvia, Nive, & Glacie; multa de Cometis & alijs diversis meteoris: multa de Plantis: multa de Piscibus, Feris, Avibus; multa tandem de Hominibus Lunaribus, quæ à Luciano, Plutarcho, & Keplero somniantur.

ARX ASTRONOMICA. Est domus elegans sideribus observandis apta. Talem à Daniæ Rege jussus erigere Tycho, Aulicam fabricatus est, cùm sideream deberet. Nos ita ædificamus muros, ut & sint organa Gygantæa, quibus possimus Corpora Cœlestia observare. Hanc INSTRUMENTIS variis Arcem, hanc SOLIS MENSIS, hanc FILO ARIADNÆ, nec non AUTOMATIBUS diversis ornamus. Modum singula formandi & exarandi scribimus; & multa nova & hucusque non visa delineamus.

MATHESIS AUDAX. Multùm ipsa succrevit paucis annis; & jam in ipsâ uberiùs omnes controversiæ Logicæ, omnes Physicæ & Metaphysicæ, omnes Theologicæ, & præcipuè de gratiâ & libero arbitrio, solâ Regulâ & Circino dilucidantur. Hæc huc videretur omninò pertinere, at ob rationes speciales Cursui Philosophico inseritur, sunt enim multæ in Physica difficultates, quæ non aliter, quàm numeris & lineis expediuntur.



CVRSVS MVSICVS.

AN Ars Liberalis, an Mathematica Musica sit, multi curiosè inquirunt, & ingeniosè exponunt. Et Ego, ne inutilibus controversiis implicer, seorsim enarmonica edissero, & ad Libros sequentes reduco.

ORTHOGRAPHIA MUSICA. Tractat de figuris & characteribus, quibus utuntur Musici.

ORTHOLOGIA MUSICA. Agit de eorumdem characterum notarumque denominatione: & in tres Partes subdividitur.

Prima est FER-DI-NAN-DUS-TER-TI-US. Utitur istis voculis, & compendio mirabili Artem copiosissimam tradit.

Secunda, UT, RE, MI, FA, SOL, LA, BI: quarum notarum nomina volumus omninò retinere.

Tertia est apologetica, & complectitur nonnullas eruditas Epistolas prò & contrà scriptas.

Constabit ex Orthologia Artem, quæ vel horâ addisci possit, tot esse tricis implicatam, ut vix annis pluribus soleat; totamque additione unius Notæ reduci ad incredibilem facilitatem. [Admissa est & practicatur nova hæc Musica præter Monsterratensia Monasteria, in S. Crucis Abbatia, & etiam in aliis Cœnobiis, ubi summâ Juvenes facilitate & fœlicitate instituuntur.]

POETICA MUSICA. Omnem Artem Metricam, omniaque Carminum & Versuum genera ad Musica fundamenta reducit.

Huc

Huc spectat VOCALIS MUSICA, quæ miro ingenio eas tantùm Notas admittit, quæ vocalibus textûs correspondent. Hâc Arte feliciter composuit nonnulla Romanus Michael, qui tamen syllabarum quantitatem neglexit, cujus Ego etiam rationem habui in nonnullis Concentibus, quæ olim composui, & nunc etiam in lucem produco.

ARITHMETICA MUSICA. Tonorum, Consonantiarum, & Dissonantiarum differentias numerorum apparatu dilucidat.

GEOMETRICA MUSICA. Easdem Linearum proportione exponit.

LOGARITHMICA MUSICA. Et nullibi liquidiùs quàm in ipsa, Enarmonicæ proportiones & mensuræ noscuntur.

SYNTAXIS MUSICA. Est Ars plures voces artificiosè connectendi, *Compositoriam* vulgus vocitat, & à me ad tantam reducitur facilitatem, ut unâ horâ, aut saltem die possit addisci.

PRODIGIA MUSICA. Complectitur ingeniosas Vocum Implicationes, Fugas, Insultus, Labyrinthos, &c.

PHILOSOPHIA MUSICA. Ab effectis regreditur ad causas, & vocis sonoræ essentiam, substantiam, quantitatem, qualitatem, relationes, proportiones, actiones, passiones, durationes, ubicationes, situationes, & habitudines speculatur.

MEDICINA MUSICA. Agit de Armonia & proportione pulsuum, & de morbis qui vocum consonantiâ curantur.

***

CVRSVS

CHIROSOPHICVS.

SEd quo poteris modo habere omnes scientias in manu? Illum dabit breviter Chirosophia, quæ non jam novas Artes tradit, sed veteres pugno comprehendit. Et ejus partes sunt.

CHIROLOGIA: quæ eloquitur digitis utriusque manûs.

CHIROGRAPHIA: & hæc manu varios characteres efformat. Sed in quo differt à Chirologia? Explicabo. Chirologia literas digitis exprimit, quas linguâ solemus: at Chirographia ineffabiles notas delineat, & ob oculos ponit. Illa Orthographiam communem, ista Sinensem imitatur.

CHIRO-RHETORICA: docet attentos Auditores non tam verbis quàm manu capi.

CHIRO-DIALECTICA. Est contentiosa & bellatrix Facultas, & veritatem propugnans manu clausâ.

CHIRARITHMICA: manu numerat, & difficiles computus digitis expedit.

CHIROMETRIA. Metitur digitis terras, astra, & omnia quæ cœli ambitu continentur.

CHIROMUSICA, Artem totam manu curiosè delineatâ complectitur. Hîc multa invenies nova, & quæ veteribus & junioribus universis ignota.

CHIROCHRONICA. Tempora & ætates coordinat, Æras ad articulos proprios reducit, & historias expendit. Numeros omnes Ecclesiasticos juxta stylum utrumque (nimirùm, au-

reum

EPISTOLA XI.



Ræcipua Autoris Quæstio est, quomodo intelligenda sint verba Tridentini Sess.14. c.5. *Eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Vbi Autor multa subtiliter de specificâ differentiâ rerum: Ego pro Regulâ universali semper adhibui & docui hanc; *Illa differunt specie, quæ differunt plus quam numero*; sic tamen, si differentia plusquam numerica sit accidentalis, ut differant *specie accidentali*; si essentialis, *specie essentiali.* Hinc Æthiops & Europæus differunt specie, sed accidentali; maiori tamen accidentali specie differunt, quam Italus & Germanus; & hi maiore quam Bavarus & Saxo; quàm Pragensis & Pilsnensis; quàm Vetero-Pragensis & Neo-Pragensis; &c. Vnde cùm Tridentinum velit explicari *speciem peccati*, dubitari posset an petat speciem accidentalem facti, an essentialem?

Verùm non puto Quæstionem hanc huc revocandam esse, aut iuxta subtilitates specierum Logicalium aut Physicalium examinandam: quando enim de specie peccati est sermo, agitur de illâ apparentiâ & æstimatione peccati, quâ vulgò dicimus rem quampiam aliter narratam habere *aliam speciem*, id est, aspectum, formam & considerationem in hominum æstimatione. Quid autem eiusmodi species & *facies rei* importet aut velit, optimè discernunt Iuristæ & Medici, quorum similitudine utor, quia Confessarius Vtriusque personam sustinet, sicut pœnitens personam rei & infirmi. Sicut ergo Iudex reum homicidii aliter iudicat si homicidium factum sit à semipoto, à stulto, ab irritato, à defendente se, ab invadente legitimè hostem Reip. si commissum per assinatum, per latrocinium; si in personam Regis, Patris, Vxoris; si per procuratum abortum &c. singulæ enim hæ circumstantiæ mutant *speciem facti*, etsi ubique sit violatio 5. præcepti, ita & iudex in Confessione petit explicari *circumstantias, quæ mutant speciem peccati*, nec enim potest condonare, nisi quod sibi est cognitum & prout est cognitum. Simili

mili modo agit & medicus: nec enim satis est ei dicere: doleo caput, sana me; sed requiritur, ut explicet an dolor sit ex febri, ex catarrho, ex crapulâ, ex ieiunio, ex percussione? an dolor inveteratus, an recens? imò non facile sanabit, nisi medicus habeat, ut loquimur, ocularem inspectionem statûs infirmi sui, sæpè enim detegit circumstantiam maximi momenti, quam infirmus putaret esse minimam.

Idem esto iudicium de Sacramentali Confessione, ubi aperuisse se infirmitatem sanari est, accedente voluntate sanandi in medico spirituali.

Hinc sacerdotes veteris legis in ordine ad remissionem peccati comparantur iudici. Levit. 6. v. 6. *anima quæ peccaverit &c. offeret arietem de grege, & dabit eum sacerdoti, iuxta æstimationem mensuramque delicti, qui rogabit pro eo.* Iosephus l. 3. Antiq. cap. 10. *qui sciens, inquit, peccavit nemine conscio, arietem offert.* Ergo sacerdos occulti peccati debebat facere iudicialem æstimationem teste Iosepho, qui praxim legis optimè sciebat; sicut & Philo eamdem legem accipit de periurio occulto. Ergo periurium occultum debebat explicari sacerdoti, & omnes eius circumstantiæ ab eo æstimari. Rursùs Deuteron. 17. v. 8. iubetur sacerdos iudicare *inter sanguinem & sanguinem, lepram & lepram.* Alibi iubetur inspicere locum & capillos lepræ, pannos menstruatæ &c. quæ omnia ex mente SS. Patrum tamquã typi sunt sacramenti Confessionis. Hinc sicut isti infirmi iubebantur ostendere se sacerdoti, sic peccatores iubentur explicare omnia *quorum habent conscientiam*; his enim verbis utitur Tridentinum, quis autem dubitet, quin alia conscientia sit eius, qui peccavit cum matre, quam cum scorto, de hoc enim forte gloriabitur palam, at illud secretum vix sibi ipsi credet.

Vnde patet quid dicendum sit ad 4. priora quæsita Autoris: nam illa sunt aperienda, quæ Iudex aut medicus iudicarent mutare *speciem facti* aut *statum infirmi*.

Similiter ad quintum quia species facti alia est, quando extendit se ad 5. occidendos, quàm ad unum, explicanda erit; etsi ignoret pœnitens habueritne 5. actus an unum, aut an ille unus actus sint 5. peccata an unicum.

Eodem

niverſali : *bonum eſt ex integrâ cauſâ.* Talis ergo actus ſemper dicendus eſt malus. Sicut non poteſt eadem linea eſſe recta & curva quin totum abſolutè ſit curvum.

An autem, quod 14. quæritur, poſſit peccari contra legem humanam, non peccando contra divinam, neſcio an ſatis intelligam. Poteſt enim quæri 1. an omni legi humanæ poſitivæ ſcriptæ ſit annexum divinum præceptum? & ſic reſponderi poteſt, annecti: quia 4. præceptum Decalogi mandat ut obediamus Præpoſitis noſtris.

2. Quæri poteſt (ut verbis Autoris utar) an dentur *humanorum actuum conformatrices leges, contra quas peccare poſſim non peccando contra legem divinam?*

Et Reſpondeo dari præter legem divinam, legem Naturæ. Scio quoſdam ſtudiosè agere ut legem naturæ evertant, & ut omnia revocent ad legem divinam poſitivam, de quâ deinde dubitabunt, an, ubi, quando Deus locutus ſit &c. & huc videtur curioſus noſter Quæſitor maximè collimare. Dico igitur Deo nos obedire, quia Lex naturæ prius præcepit Deo obediendum eſſe, quam legem niſi habuiſſet & cognoviſſet Adam, quomodo judicaſſet ſe debere abſtinere ab eſu ligni? Sicut ergo natura dat lumen, quo cognoſco Deum eſſe, & Deum mihi revelare quidpiam aut loqui, ſic eadem natura dictat debere meam voluntatem & executionem voluntati eiusdem divini numinis eſſe conformem. Et illa eadem natura dictat quid cuivis naturæ ſit æquum aut iniquum. Utque in ſimili rem explicem, Lex Naturæ reſpondet axiomatibus Philoſophicis, quæ partim vocamus (à tot ſæculis) lumine Naturæ nota: nam quando Logicus facit ſyllogiſmum in *Barbara.* v. c. multa quidem ei præcepta obſervanda ſunt, ſed in omnibus dirigitur ad præceptorum illorum obſervationem à quodam præcepto univerſali Naturali: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, quod nulla ratio, ſed ſolùm Naturæ inſitum dictamen perſuaſit. Et ut finiam, fieri poteſt ut quis ſolam Naturam offendat ignorans omne præceptum divinum poſitivum, ſicut fieri poteſt, ut aliquis ſit bonus lo-

OMNIUM OPERUM CARAMUELIS CATALOGUS.



AUTHOR.



Multos Libros & varios, diverso typo & formâ, prout tempora tulerunt, edidi. Multa scripsi, quæ nondum lucem vident; & posse prodesse videntur. Novam omnium editionem exorno; & , ne Libros separari contingat, magnâ illos arte & studio concateno; ita ut posteriores frequenter Lectorem ad priores remittant, isti iterùm ad illos reducant; ut omnibus censeatur carere, qui caret aliquo. Claritatis eos majoris gratiâ ad novem Classes redigo; & novem Cursus (I. Liberalem, II. Mathematicum, III. Musicum, IV. Chirosophicum, V. Philosophicum, VI. Theologicum Scholasticum, VII. Moralem Philosophicum, VIII. Moralem Theologicum, & IX. Scripturarium) instituo: & singulos ob oculos pono.

CUR-

CVRSVS

LIBERALIS.



Mnes artes complectitur, quas ingenuas vocamus, omnes Inertias aut Artes malas expugnat; Inter eximias præcipuè judicantur.

ORTHOLOGIA: De variâ pronunciatione litterarum, ubi multis consultis nationibus, multis ætatibus plurima curiosa expenduntur.

ORTHOGRAPHIA: De variis figuris literarum, quæ in Orbe terrarum hodie apud varias nationes sunt in usu.

POLYGRAPHIA. De transfiguratione literarum, & earumdem potestate secretâ. Est Liber summè necessarius Principibus, & ciphras multas & valde curiosas & securas complectitur.

STEGANOGRAPHIA. Est Scientia Polygraphiâ nobilior, & ita secretiorem scribendi methodum promovet, ut ubi maximè secretum est, nulla ibi videatur suspicio secreti subesse. Hâc arte, ut de rebus arcanis amicos admoneamus, quamcumque Ciceronis aut alterius Authoris Epistolam ad quemcumque mittimus, intelligimur; illi ad nos aut eandem, aut aliam remittunt, & intelliguntur. Hâc arte ad integrum Senatum unicam Epistolam scribere possumus, in quâ singuli diversa, quæ voluerimus, exactè capiant, & tamen non se intelligant mutuò.

Mirabilis olim fuit Joannis Trithemij Abbatis in ciphris inveniendis felicitas, & æquè mira illius ævi ignorantia; condemnatur enim à multis, à quibus intellectus non fuit. Hoc fuit ætatis priscæ ingenium: hoc est nostræ; *pauca legere, pauciora intelligere, omnia aut ferè damnare.* At ante annos viginti strinxi calamum, & Trithemiū tutatus, Steganographiam, non jam inertiam nigromanticam, sed ingenuam & liberalem artem esse ostendi. Hanc nunc Apolysin multùm auctam exhibeo, & mirabilia arcana in genere literario produco.

NOTARIA ARS. Quantum distant Notæ à Literis explicat. Ponit Notas artificiosas, quibus quis uti possit, ut uno solo charactere quamcumque dictionem scribat. Hic scribendi modus adhuc est in usu apud Sinas, quorum omnes facultates & Scientiæ videntur esse Abecedariæ, & in Regione illa doctissimi, qui meliùs scribunt aut legunt. Posset ad methodum & regulas reduci hæc facultas, & tunc non deberet contemni. Dum tu alias notas breviores & meliores efformas, meis inventis fruere, & omnia calamo, qui linguâ sit velocior, scribes.

GRAMMATICA HISPANICA. Ostendit Hispanorum Idioma frustrà hucusque ad Latini leges coactum, aliter doceri debuisse. Multa hîc Germanus, Belga, Gallus, Italus, multa alij, unde possint propriæ Linguæ Institutiones reformare.

GRAMMATICA LATINA. Hanc scripsi pueris nostris condolēs septem

aut novem etiam annorum dispendio condemnatis. Puto formam totius Linguæ Latinæ à clari ingenii juvene posse horâ intelligi, & mense addisci, si istæ novæ Institutiones admittantur. Puto materiam faciliùs adquirendam, si etiam arte tradatur.

Hispanus sum, & quia Hispanis scribo Linguam Hispanam Latinæ seu Romanę anteposui, non ut de alteriusutrius excellentiâ & primatu contenderem (de hoc enim alibi) sed, ut ordinem doctrinalem sequutus, eum qui maternam linguam per regulas & artem didicerit, faciliùs edocerem Latinam. Hanc nostri pueri, septem, octo, aut etiam novem annis adquirunt, Græcam verò duobus vel tribus mensibus: & cur? an, quia Græcâ est multò difficilior Latina? minimè. Sed quia Latina addiscitur priùs, Græca posteriùs; nam si inverso traderentur ordine, in Græcâ consumerentur anni multi, & in Latinâ menses pauci. Ergo tradatur priùs Lingua materna ex arte & regulis, quam unusquisque addiscere posse videtur unâ hebdomade: & si hãc semel altè percalleat, poterit quodcũque aliud idioma adquirere uno aut altero mense.

ELOQUENTIA CORRUPTRIX. Hîc subscribo Institutiones Linguæ priscę, & ostendo illam fuisse pulcherrimam & regularissimam, omnesq; exceptiones & irregularitates paulatim irrepsisse, non tam suavioris prolationis studio, quàm vulgi ignorantiâ & proterviâ.

METAMETRICA. Sic eam facultatem dici volui, quæ est Metricâ vulgatâ sublimior. In eâ varij & multiformes Labyrinthi: in ipso & Regulæ (quod hucusque à nemine præstitum est) quibus Carmina Regredientia, Resilientia, Decidentia, Ascendentia, Circuieuntia; Amabæa; item quibus Proteos, Martes, Soles, &c. contexamus. Est opus omninò rarum, & novum, quod mirum in modum augeri & exornari poterit, si fundamentis positis insistatur.

RHETORICA. Multa frigidissima, quæ ex Veteribus desumpta, tradebantur, condemnat; figuras troposque nostro ævo & moribus coaptat, & brevissimè Oraturos & Concionaturos instituit, ut cum plausu & authoritate eloquantur.

MEMORIÆ ARS. Puto Artem memoriæ alterâ indigere memoriâ: interim quid alij dixerint & docuerint examino, & methodum commodissimam trado, quâ possit juvari memoria.

CURSUS MATHEMATICUS.

Ego sæpè, & Viri doctissimi meçum, habemus recreationis loco Iuniorum Authorum scripta, qui sublimes in Philosophia conceptus Mathematum ignoratione macularunt. Hanc ob rem Philosophum in Mathematicis eminere desidero, & ut possit, omnes Artes, quæ in numero, pondere & mensurâ consistunt, ad novam methodum & compendium reduco.

ARITHMETICA. Novis speculationibus ditatur, & brevissimè traditur.

GEOMETRIA. Etiam ipsa ad compendium reducitur.

TRIGONOMETRIA. Non sine novis & plenis ingenio præceptis Triangulos universos resolvit.

LOGARITHMICA. In tres partes dividitur; in primâ Neperiana in secunda Ulacquiana, in tertiâ traditur Enar-

Enarmonica, multò cæteris utilior & præstantior.

ARCHITECTURA ÆDILITIA. Est Ars curiosa, & Publicæ Rei necessaria. Illam in rectam & obliquam divido. De priori plurimos scripsisse reperio, tametsi multa in singulis potuerint poni castigatiùs; at de posteriore vix ullum. Utraq; est valdè utilis & necessaria, quarum, & præcipuè posterioris neglectu, summos in summis Palatijs & Ecclesijs errores committi observamus.

ARCHITECTURA MILITARIS. Agit in primâ parte de Fortalitijs, & illis effossis tormenta, munitiones, & milites addit, ubi multa quæ eisdem propugnandis aut etiam expugnandis servient. Et in secundâ longam mirabilemque obsidionem Pragensis Civitatis, sine muro, sine milite, sine sulphure pyreo, sine tormentis bellicis prodigiosè defensæ, ad rei militaris penitiorem notitiam accuratè recenset.

ASTRONOMIA. Ostendit multa olim à Ptolomæo, multa ab Alphonso Hispaniæ Rege, multa à Copernico, multa à Tychone, & ejus Asseclis Logomontano & Keplero, multa à Lansbergio, multa ab alijs supponi, quæ aut demonstrantur esse falsa, aut non probantur esse vera, Vertit ad causas Physicas oculos, & singula exactissimè expendit. Huc pertinent sequentes Libri.

SPHÆRA. Multa nova & varia recludit, in argumento veteri. Tradit doctrinam communem, quam *Mediam* vocitat. Illam Meditationes Parallacticæ deprimunt; illam exaltant Refractariæ: sine quarū notitiâ frustrà ad scholas sublimiores proceditur.

SOLIS ET ARTIS ADULTERIA. Doctrinâ generali præmissâ umbris imperat, & miris linearum labyrinthis horas communes repræsentat.

URANIA CRUCIFIXA. Dat novas & faciles hypotheses, in quibus motu cruciformi, omnia, quæque à Veteribus, quæque à Junioribus observata, salvantur. Hic omnis motus rectilineus, hic exclusi omnes circuli; hinc omnes arcus; & tamen salvantur observationes universæ.

PROTEUS COELESTIS. Demonstrat omnia Phænomena quiescente in centro Mundi Terrâ, Lunâ, Mercurio, Venere, Sole, Marte, Jove, aut Saturno salvari: stando rationi & mathesi cognosci veram Mundi faciem non posse: Heliocentricam pulchriorem cæteris, at solam Geocentricam videri sacræ Paginæ consonantiorem, & hanc ob rem Eminentissimorum Cardinalium decreto Scholis Orthodoxis permissam, cæteris quibuscumque rejectis.

ARISTARCHUS. Libellus est summo ingenio scriptus; & ipsius Aristarchi, si Viris magnis, qui eum ediderunt, credimus. Notis indigere fuit visus, & ideò nos Ideas singulas speciali commentario illustravimus.

SELENOGRAPHIA. Est quædam Astronomia Lunaris, oculo in Lunâ posito omnium Planetarum & siderum loca, situm & motum apparentem examinans. Eidem adjungi debuit

PLUTARCHUS LUNARIS, & est *Colloquium de maculis, quæ in Lunæ facie, à Plutarcho conscriptum:* Illud ego Scholijs continuis dilucido, & in ipsis singulorum Philosophorum sensa, severi disquisitione examino. Hîc multa de Montibus, Vallibus, Continente, Oceano, Insulis & fluviis Lunaribus:

multa de Ventis & Procellis: multa de Pluvia, Nive, & Glacie; multa de Cometis & alijs diversis meteoris: multa de Plantis: multa de Piscibus, Feris, Avibus; multa tandem de Hominibus Lunaribus, quæ à Luciano, Plutarcho, & Keplero somniantur.

ARX ASTRONOMICA. Est domus elegans sideribus observandis apta. Talem à Daniæ Rege jussus erigere Tycho, Aulicam fabricatus est, cùm sideream deberet. Nos ita ædificamus muros, ut & sint organa Gygantæa, quibus possimus Corpora Cœlestia observare. Hanc INSTRUMENTIS variis Arcem, hanc SOLIS MENSIS, hanc FILO ARIADNÆ, nec non AUTOMATIBUS diversis ornamus. Modum singula formandi & exarandi scribimus; & multa nova & hucusque non visa delineamus.

MATHESIS AUDAX. Multùm ipsa succrevit paucis annis; & jam in ipsâ uberiùs omnes controversiæ Logicæ, omnes Physicæ & Metaphysicæ, omnes Theologicæ, & præcipuè de gratiâ & libero arbitrio, solâ Regulâ & Circino dilucidantur. Hæc huc videretur omninò pertinere, at ob rationes speciales Cursui Philosophico inseritur, sunt enim multæ in Physica difficultates, quæ non aliter, quàm numeris & lineis expediuntur.



CVRSVS MVSICVS.

AN Ars Liberalis, an Mathematica Musica sit, multi curiosè inquirunt, & ingeniosè exponunt. Et Ego, ne inutilibus controversiis implicer, seorsim enarmonica edissero, & ad Libros sequentes reduco.

ORTHOGRAPHIA MUSICA. Tractat de figuris & characteribus, quibus utuntur Musici.

ORTHOLOGIA MUSICA. Agit de eorumdem characterum notarumque denominatione: & in tres Partes subdividitur.

Prima est FER-DI-NAN-DUS-TER-TI-US. Utitur istis voculis, & compendio mirabili Artem copiosissimam tradit.

Secunda, UT, RE, MI, FA, SOL, LA, BI: quarum notarum nomina volumus omninò retinere.

Tertia est apologetica, & complectitur nonnullas eruditas Epistolas prò & contrà scriptas.

Constabit ex Orthologia Artem, quæ vel horâ addisci possit, tot esse tricis implicatam, ut vix annis pluribus soleat; totamque additione unius Notæ reduci ad incredibilem facilitatem. [Admissa est & practicatur nova hæc Musica præter Monsterratensia Monasteria, in S. Crucis Abbatia, & etiam in aliis Cœnobiis, ubi summâ Juvenes facilitate & fœlicitate instituuntur.]

POETICA MUSICA. Omnem Artem Metricam, omniaque Carminum & Versuum genera ad Musica fundamenta reducit.

Huc

Huc ſpectat VOCALIS MUSICA, quæ miro ingenio eas tantùm Notas admittit, quæ vocalibus textûs correſpondent. Hâc Arte fæliciter compoſuit nonnulla Romanus Michael, qui tamen ſyllabarum quantitatem neglexit, cujus Ego etiam rationem habui in nonnullis Concentibus, quæ olim compoſui, & nunc etiam in lucem produco.

ARITHMETICA MUSICA. Tonorum, Conſonantiarum, & Diſſonantiarum differentias numerorum apparatu dilucidat.

GEOMETRICA MUSICA. Eaſdem Linearum proportione exponit.

LOGARITHMICA MUSICA. Et nullibi liquidiùs quàm in ipſa, Enarmonicæ proportiones & menſuræ noſcuntur.

SYNTAXIS MUSICA. Eſt Ars plures voces artificioſè connectendi. *Compoſitoriam* vulgus vocitat, & à me ad tantam reducitur facilitatem, ut unâ horâ, aut ſaltem die poſſit addiſci.

PRODIGIA MUSICA. Complectitur ingenioſas Vocum Implicationes, Fugas, Inſultus, Labyrinthos, &c.

PHILOSOPHIA MUSICA. Ab effectis regreditur ad cauſas, & vocis ſonoræ eſſentiam, ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, relationes, proportiones, actiones, paſſiones, durationes, ubicationes, ſituationes, & habitudines ſpeculatur.

MEDICINA MUSICA. Agit de Armonia & proportione pulſuum, & de morbis qui vocum conſonantiâ curantur.

* * *

CURSUS CHIROSOPHICUS.

SEd quo poteris modo habere omnes ſcientias in manu? Illum dabit breviter Chiroſophia, quæ non jam novas Artes tradit, ſed veteres pugno comprehendit. Et ejus partes ſunt.

CHIROLOGIA: quæ eloquitur digitis utriusque manûs.

CHIROGRAPHIA: & hæc manu varios characteres efformat. Sed in quo diſſidet à Chirologia? Explicabo. Chirologia literas digitis exprimit, quas linguâ ſolemus: at Chirographia ineffabiles notas delineat, & ob oculos ponit. Illa Orthographiam communem, iſta Sinenſem imitatur.

CHIRO-RHETORICA: docet attentos Auditores non tam verbis quàm manu capi.

CHIRO-DIALECTICA. Eſt contentioſa & bellatrix Facultas, & veritatem propugnans manu clausâ.

CHIRARITHMICA: manu numerat, & difficiles computus digitis expedit.

CHIROMETRIA. Metitur digitis terras, aſtra, & omnia quæ cœli ambitu continentur.

CHIROMUSICA, Artem totam manu curioſè delineatâ complectitur. Hic multa invenies nova, & quæ veteribus & junioribus univerſis ignota.

CHIROCHRONICA. Tempora & ætates coordinat, Æras ad articulos proprios reducit, & hiſtorias expendit. Numeros omnes Eccleſiaſticos juxta ſtylum utrumque (nimirùm, aureum

reum

pollutioni & fornicationi intrinsecâ adversus Ioannem Caramuelem. Et §.1. immediatè subsequenti inquirit, *An mollities seu simplex pollutio, ex sui naturâ & iure naturali sit moraliter mala & peccatum : an verò solùm, quia iure divino positivo prohibita?* Illi respondi in Theologiâ Fundamentali cap.2. Fund.12.num.321. huic in Quæstione Theologicâ additâ eidem Theologiæ Fundamentali Epist.1.pag.745. Uterque Caramuelem iniuriis onerat; & quia iniuriæ ab amicis receptæ, honores sunt, etiam honorant. Vide, quæso, Passerine mi, quàm pulchrè alteruter hallucinetur! quàm ipsi mirabiliter intexant & distinguant terminos, & has præcipuè voces, *Malitia intrinseca; Prohibitio divina : Ius naturale*, & *Ius Divinum positivum!* Considera, quàm peregrinâ illi Logicâ ex uno præiudicio proprio ex aliquorum Thomistarum orto placitis, & unâ propositione Caramuelis (& etiam Scoti, Scotistarum, & iam etiam Passerini & Sfortiæ) inferant positionem erroneam, quam meritò damnent & improbent, quam tamen immeritò adfingant Scoto aut Caramueli. Cur hîc plura. Lege quæso Bossium, & multa in ejus libris bona, me applaudente & laudante, reperies : at illos binos Titulos, iniuriis plenos. Sed non turberis, quibus ego non turbor; quia personalibus, quibus me oppetiit, nil repono: & ad Titulum illum XXIV. respondi & respondeo istis verbis. *Poterit D. Ioannes Angelus Bossius, quia doctus est; & debebit, quia pius & probus est, sumere novum calamum, & omnes illius Tituli lineas à primâ ad ultimam delere; impugnat enim ea, quæ fortè aliquis dixerit, sed nunquam scripsit, dixit aut somniavit Caramuel: vel si obniti adhuc placeat, ostendat locum aliquem, quo probet Caramuelis esse doctrinam, quam cum tanto strepitu illi adfingit.* Spero à Viro Optimo, quod curabit illum tertium Tomum aliquando recudi; & in Titulo illo priori aget urbaniùs, & totum illum posteriorem expunget. Ut igitur mentem Caramuelis Bossius videat siquidem eius libri sunt magni, nec possunt à Viris Magnis legi, sic scribo. *Mollities seu simplex pollutio (idemque dixero de compositâ: idem de fornicatione & adulterio: idem de homicidio, furto: &c.) humanitùs considerata est intrinsecè mala (hoc est habet primam malitiam à Decretis & Legibus hominum independentem : sublatis enim omnibus Humanis legibus adhuc maneret peccaminosa & mala.) At divinitùs considerata, est extrinsecè mala (hoc est, habet malitiam à Dei volun-*

voluntate pendentem: sublatâ enim omni interdictione divinâ, nec esset peccatum nec theologicè mala.) Hodie est mala, quia opponitur legi Naturali: hodie est mala, quia opponitur Iuri Divino positivo: Ius enim Naturale & Divinum sunt unum & idem formalissimè Ius: quod vocatur Divinum sumptâ denominatione à Legislatore qui est Deus: & Naturale, sumptâ denominatione iterum à Legislatore, qui est Natura naturans; aut etiam à nativitate; est enim Ius aternum: & in terris cum Hominibus natum, digito Dei cordibus singulorum inscriptum, ut optimè Augustinus & alii multi Patres, quos sequitur Scotus, edisserunt. Rem sic intelligo: & quia à me stas, veritatem hanc magno testimonio confirmo.

Novam hanc & curiosam Quæstionem, quæ de Circumstantiis aggravantibus, & speciem addentibus aut mutantibus est, adiungo, & à Te resolvi desidero, est enim fundamentalis, & quæ multas Ecthefes parturit, & ideò debet resolvi accuratè & perfectè. Libros in Belgio impressos vix habeo: editos in Germaniâ mittam, & quia concredi debent Æoli & Neptuni inclementiis, (mittuntur enim Pragâ Francofurtum: & Francofurto iterùm Pragam, Amburgum, Amstelodamum, Venetias, Romam, & hærent in viâ multis mensibus) non illos Castori & Polluci, sed Maris Stellæ, & Antonio Paduano commendo: oroque Deum, ut *Te* ad sui maiorem gloriam salvum & incolumem servare dignetur multis annis.



EPISTOLA XI.



Ræcipua Autoris Quæstio est, quomodo intelligenda sint verba Tridentini Sess.14. c.5. *Eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Vbi Autor multa subtiliter de specificâ differentiâ rerum: Ego pro Regulâ universali semper adhibui & docui hanc; *Illa differunt specie, quæ differunt plus quam numero*; sic tamen, si differentia plusquam numerica sit accidentalis, ut differant *specie accidentali*; si essentialis, *specie essentiali*. Hinc Æthiops & Europæus differunt specie, sed accidentali; maiori tamen accidentali specie differunt, quam Italus & Germanus; & hi maiore quam Bavarus & Saxo; quàm Pragensis & Pilsnensis; quàm Vetero-Pragensis & Neo-Pragensis; &c. Vnde cùm Tridentinum velit explicari *speciem peccati*, dubitari posset an petat speciem accidentalem facti, an essentialem?

Verùm non puto Quæstionem hanc huc revocandam esse, aut iuxta subtilitates specierum Logicalium aut Physicalium examinandam: quando enim de specie peccati est sermo, agitur de illâ apparentiâ & æstimatione peccati, quâ vulgò dicimus rem quampiam aliter narratam habere *aliam speciem*, id est, aspectum, formam & considerationem in hominum æstimatione. Quid autem eiusmodi species & *facies rei* importet aut velit, optimè discernunt Iuristæ & Medici, quorum similitudine utor, quia Confessarius Vtriusque personam sustinet, sicut pœnitens personam rei & infirmi. Sicut ergo Iudex reum homicidii aliter iudicat si homicidium factum sit à semipoto, à stulto, ab irritato, à defendente se, ab invadente legitimè hostem Reip. si commissum per assinatum, per latrocinium; si in personam Regis, Patris, Vxoris; si per procuratum abortum &c. singulæ enim hæ circumstantiæ mutant *speciem facti*, etsi ubique sit violatio 5. præcepti, ita & iudex in Confessione petit explicari *circumstantias, quæ mutant speciem peccati*, nec enim potest condonare, nisi quod sibi est cognitum & prout est cognitum. Simili

mili modo agit & medicus: nec enim ſatis eſt ei dicere: doleo caput, ſana me; ſed requiritur, ut explicet an dolor ſit ex febri, ex catarrho, ex crapulâ, ex ieiunio, ex percuſſione? an dolor inveteratus, an recens? imò non facile ſanabit, niſi medicus habeat, ut loquimur, ocularem inſpectionem ſtatûs infirmi ſui, ſæpè enim detegit circumſtantiam maximi momenti, quam infirmus putaret eſſe minimam.

Idem eſto iudicium de Sacramentali Confeſſione, ubi aperuiſſe ſe infirmitatem ſanari eſt, accedente voluntate ſanandi in medico ſpirituali.

Hinc ſacerdotes veteris legis in ordine ad remiſſionem peccati comparantur iudici. Levit. 6. v. 6. *anima quæ peccaverit &c. offeret arietem de grege, & dabit eum ſacerdoti, iuxta æſtimationem menſuramque delicti, qui rogabit pro eo.* Ioſephus l. 3. Antiq. cap. 10. *qui ſciens, inquit, peccavit nemine conſcio, arietem offert.* Ergo ſacerdos occulti peccati debebat facere iudicialem æſtimationem teſte Ioſepho, qui praxim legis optimè ſciebat; ſicut & Philo eamdem legem accipit de periurio occulto. Ergo periurium occultum debebat explicari ſacerdoti, & omnes eius circumſtantiæ ab eo æſtimari. Rursùs Deuteron. 17. v. 8. iubetur ſacerdos iudicare *inter ſanguinem & ſanguinem, lepram & lepram.* Alibi iubetur inſpicere locum & capillos lepræ, pannos menſtruatæ &c. quæ omnia ex mente SS. Patrum tamquã typi ſunt ſacramenti Confeſſionis. Hinc ſicut iſti infirmi iubebantur oſtendere ſe ſacerdoti, ſic peccatores iubentur explicare omnia *quorum habent conſcientiam*; his enim verbis utitur Tridentinum, quis autem dubitet, quin alia conſcientia ſit eius, qui peccavit cum matre, quam cum ſcorto, de hoc enim forte gloriabitur palam, at illud ſecretum vix ſibi ipſi credet.

Vnde patet quid dicendum ſit ad 4. priora quæſita Autoris: nam illa ſunt aperienda, quæ Iudex aut medicus iudicarent mutare *ſpeciem facti* aut *ſtatum infirmi*.

Similiter ad quintum quia ſpecies facti alia eſt, quando extendit ſe ad 5. occidendos, quàm ad unum, explicanda erit; etſi ignoret pœnitens habueritne 5. actus an unum, aut an ille unus actus ſint 5. peccata an unicum.

Eodem

niverſali: *bonum eſt ex integrâ causâ.* Talis ergo actus ſemper dicendus eſt malus. Sicut non poteſt eadem linea eſſe recta & curva quin totum abſolutè ſit curvum.

An autem, quod 14. quæritur, poſſit peccari contra legem humanam, non peccando contra divinam, neſcio an ſatis intelligam. Poteſt enim quæri 1. an omni legi humanæ poſitivæ ſcriptæ ſit annexum divinum præceptum? & ſic reſponderi poteſt, annecti: quia 4. præceptum Decalogi mandat ut obediamus Præpoſitis noſtris.

2. Quæri poteſt (ut verbis Autoris utar) an dentur *humanorum actuum conformatrices leges, contra quas peccare poſſim non peccando contra legem divinam?*

Et Reſpondeo dari præter legem divinam, legem Naturæ. Scio quoſdam ſtudioſè agere ut legem naturæ evertant, & ut omnia revocent ad legem divinam poſitivam, de quâ deinde dubitabunt, an, ubi, quando Deus locutus ſit &c. & huc videtur curioſus noſter Quæſitor maximè collimare. Dico igitur Deo nos obedire, quia Lex naturæ priùs præcepit Deo obediendum eſſe, quam legem niſi habuiſſet & cognoviſſet Adam, quomodo judicaſſet ſe debere abſtinere ab eſu ligni? Sicut ergo natura dat lumen, quo cognoſco Deum eſſe, & Deum mihi revelare quidpiam aut loqui, ſic eadem natura dictat debere meam voluntatem & executionem voluntati eiuſdem divini numinis eſſe conformem. Et illa eadem natura dictat quid cuivis naturæ ſit æquum aut iniquum. Utque in ſimili rem explicem, Lex Naturæ reſpondet axiomatibus Philoſophicis, quæ partim vocamus (à tot ſæculis) lumine Naturæ nota: nam quando Logicus facit ſyllogiſmum in *Barbara*, v. c. multa quidem ei præcepta obſervanda ſunt, ſed in omnibus dirigitur ad præceptorum illorum obſervationem à quodam præcepto univerſali Naturali: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, quod nulla ratio, ſed ſolùm Naturæ inſitum dictamen perſuaſit. Et ut finiam, fieri poteſt ut quis ſolam Naturam offendat ignorans omne præceptum divinum poſitivum, ſicut fieri poteſt, ut aliquis ſit bonus lo-

OMNIUM OPERUM CARAMUELIS CATALOGUS.



AUTHOR.



Ultos Libros & varios, diverso typo & formâ, prout tempora tulerunt, edidi. Multa scripsi, quæ nondum lucem vident; & posse prodesse videntur. Novam omnium editionem exorno; &, ne Libros separari contingat, magnâ illos arte & studio concateno; ita ut posteriores frequenter Lectorem ad priores remittant, isti iterùm ad illos reducant; ut omnibus censeatur carere, qui caret aliquo. Claritatis eos majoris gratiâ ad novem Classes redigo, & novem Cursus (I. Liberalem, II. Mathematicum, III. Musicum, IV. Chirosophicum, V. Philosophicum, VI. Theologicum Scholasticum, VII. Moralem Philosophicum, VIII. Moralem Theologicum, & IX. Scripturarium) instituo: & singulos ob oculos pono.

CUR-

CVRSVS
LIBERALIS.



Mnes artes complectitur, quas ingenuas vocamus, omnes Inertias aut Artes malas expugnat; Inter eximias præcipuè judicantur.

ORTHOLOGIA: De variâ pronunciatione literarum, ubi multis consultis nationibus, multis ætatibus plurima curiosa expenduntur.

ORTHOGRAPHIA: De variis figuris literarum, quæ in Orbe terrarum hodie apud varias nationes sunt in usu.

POLYGRAPHIA. De transfiguratione literarum, & earumdem potestate secretâ. Est Liber summè necessarius Principibus & ciphras multas & valde curiosas & securas complectitur.

STEGANOGRAPHIA. Est Scientia Polygraphiâ nobilior, & ita secretiorem scribendi methodum promovet, ut ubi maximè secretum est, nulla ibi videatur suspicio secreti subesse. Hâc arte, ut de rebus arcanis amicos admoneamus, quamcumque Ciceronis aut alterius Authoris Epistolam ad quemcumque mittimus, intelligimur; illi ad nos aut eandem, aut aliam remittunt, & intelliguntur. Hâc arte ad integrum Senatum unicam Epistolam scribere possumus, in quâ singuli diversa, quæ voluerimus, exactè capiant, & tamen non se intelligant mutuò.

Mirabilis olim fuit Joannis Trithemij Abbatis in ciphris inveniendis felicitas, & æquè mira illius ævi ignorantia; condemnatur enim à multis, à quibus intellectus non fuit. Hoc fuit ætatis priscæ ingenium: hoc est nostræ; *pauca legere, pauciora intelligere, omnia aut ferè damnare.* At ante annos viginti strinxi calamum, & Trithemiũ tutatus, Steganographiam, non jam inertiam nigromanticam, sed ingenuam & liberalem artem esse ostendi. Hanc nunc Apolysim multùm auctam exhibeo, & mirabilia arcana in genere literario produco.

NOTARIA ARS. Quantum distant Notæ à Literis explicat. Ponit Notas artificiosas, quibus quis uti possit, ut uno solo charactere quamcumque dictionem scribat. Hic scribendi modus adhuc est in usu apud Sinas, quorum omnes facultates & Scientiæ videntur esse Abecedariæ, & in Regione illa doctissimi, qui meliùs scribunt aut legunt. Posset ad methodum & regulas reduci hæc facultas, & tunc non deberet contemni. Dum tu alias notas breviores & meliores efformas, meis inventis fruere, & omnia calamo, qui linguâ sit velocior, scribes.

GRAMMATICA HISPANICA. Ostendit Hispanorum Idioma frustrà hucusque ad Latini leges coactum, aliter doceri debuisse. Multa hîc Germanus, Belga, Gallus, Italus, multa alij, unde possint propriæ Linguæ Institutiones reformare.

GRAMMATICA LATINA. Hanc scripsi pueris nostris condolẽs septem

aut novem etiam annorum dispendio condemnatis. Puto formam totius Linguæ Latinæ à clari ingenii juvene posse horâ intelligi, & mense addisci, si istæ novæ Institutiones admittantur. Puto materiam faciliùs adquirendam, si etiam arte tradatur.

Hispanus sum, & quia Hispanis scribo Linguam Hispanam Latinæ seu Romanæ anteposui, non ut de alteriusutrius excellentiâ & primatu contenderem (de hoc enim alibi) sed, ut ordinem doctrinalem sequutus, eum qui maternam linguam per regulas & artem didicerit, faciliùs edocerem Latinam. Hanc nostri pueri, septem, octo, aut etiam novem annis adquirunt, Græcam verò duobus vel tribus mensibus: & cur? an, quia Græcâ est multò difficilior Latina? minimè. Sed quia Latina addiscitur priùs, Græca posteriùs; nam si inverso traderentur ordine, in Græcâ consumerentur anni multi, & in Latinâ menses pauci. Ergo tradatur priùs Lingua materna ex arte & regulis, quam unusquisque addiscere posse videtur unâ hebdomade: & si hāc semel altè percalleat, poterit quodcūque aliud idioma adquirere uno aut altero mense.

Eloquentia Corruptrix. Hîc subscribo Institutiones Linguæ priscę, & ostendo illam fuisse pulcherrimam & regularissimam, omnesq; exceptiones & irregularitates paulatim irrepsisse, non tam suavioris prolationis studio, quàm vulgi ignorantiâ & proterviâ.

Metametrica. Sic eam facultatem dici volui, quæ est Metricâ vulgatâ sublimior. In eâ varij & multiformes Labyrinthi: in ipso & Regulæ (quod huc usque à nemine præstitum est) quibus Carmina Regredientia, Resilientia, Decidentia, Ascendentia, Circuíeuntia; Amabæa; item quibus Proteos, Martes, Soles, &c. contexamus. Est opus omninò rarum, & novum, quod mirum in modum augeri & exornari poterit, si fundamentis positis instatur.

Rhetorica. Multa frigidissima, quæ ex Veteribus desumpta, tradebantur, condemnat; figuras troposque nostro ævo & moribus coaptat, & brevissimè Oraturos & Concionaturos instituit, ut cum plausu & authoritate eloquantur.

Memoriæ Ars. Puto Artem memoriæ alterâ indigere memoriâ: interim quid alij dixerint & docuerint examino, & methodum commodissimam trado, quâ possit juvari memoria.

CVRSVS
MATHEMATICVS.

EGo sæpè, & Viri doctissimi me cum, habemus recreationis loco Ignorum Authorum scripta, qui sublimes in Philosophia conceptus Mathematum ignoratione macularunt. Hanc ob rem Philosophum in Mathematicis eminere desidero, & ut possit omnes Artes, quæ in numero, pondere & mensurâ consistunt, ad novam methodum & compendium reduco.

ARITHMETICA. Novis speculationibus ditatur, & brevissimè traditur.

GEOMETRIA. Etiam ipsa ad compendium reducitur.

TRIGONOMETRIA. Non sine novis & plenis ingenio præceptis Triangulos universos resolvit.

LOGARITHMICA. In tres partes dividitur; in primâ Neperiana in secundâ Ulacquiana, in tertiâ traditur Enar-

Enarmonica, multò cæteris utilior & præstantior.

ARCHITECTURA ÆDILITIA. Est Ars curiosa, & Publicæ Rei necessaria. Illam in rectam & obliquam divido. De priori plurimos scripsisse reperio, tametsi multa in singulis potuerint poni castigatiùs; at de posteriore vix ullum. Utraq; est valdè utilis & necessaria; quarum, & præcipuè posterioris neglectu, summos in summis Palatijs & Ecclesijs errores committi observamus.

ARCHITECTURA MILITARIS. Agit in primâ parte de Fortalitijs, & illis effossis tormenta, munitiones, & milites addit, ubi multa quæ eisdem propugnandis aut etiam expugnandis servient. Et in secundâ longam mirabilemque obsidionem Pragensis Civitatis, sine muro, sine milite, sine sulphure pyreo, sine tormentis bellicis prodigiosè defensæ, ad rei militaris peritiorem notitiam accuratè recenset.

ASTRONOMIA. Ostendit multa olim à Ptolomæo, multa ab Alphonso Hispaniæ Rege, multa à Copernico, multa à Tychone, & ejus Asseclis Logomontano & Keplero, multa à Lansbergio, multa ab alijs supponi, quæ aut demonstrantur esse falsa, aut non probantur esse vera. Vertit ad causas Physicas oculos, & singula exactissimè expendit. Huc pertinent sequentes Libri.

SPHÆRA. Multa nova & varia recludit, in argumento veteri. Tradit doctrinam communem, quam *Mediam* vocitat. Illam Meditationes Parallacticæ deprimunt; illam exaltant Refractariæ: sine quarũ notitiâ frustrà ad scholas sublimiores proceditur.

SOLIS ET ARTIS ADULTERIA. Doctrinâ generali præmissâ umbris imperat, & miris linearum labyrinthis horas communes repræsentat.

URANIA CRUCIFIXA. Dat novas & faciles hypotheses, in quibus motu cruciformi, omnia, quæque à Veteribus, quæque à Junioribus observata, salvantur. Hic omnis motus rectilineus, hic exclusi omnes circuli; hinc omnes arcus; & tamen salvantur observationes universæ.

PROTEUS COELESTIS. Demonstrat omnia Phænomena quiescente in centro Mundi Terrâ, Lunâ, Mercurio, Venere, Sole, Marte, Jove, aut Saturno salvari: stando rationi & mathesi cognosci veram Mundi faciem non posse: Heliocentricam pulchriorem cæteris, at solam Geocentricam videri sacræ Paginæ consonantiorem, & hanc ob rem Eminentissimorum Cardinalium decreto Scholis Orthodoxis permissam, cæteris quibuscumque rejectis.

ARISTARCHUS. Libellus est summo ingenio scriptus; & ipsius Aristarchi, si Viris magnis, qui eum ediderunt, credimus. Notis indigere fuit visus, & ideò nos Ideas singulas speciali commentario illustravimus.

SELENOGRAPHIA. Est quædam Astronomia Lunaris, oculo in Lunâ posito omnium Planetarum & siderum loca, situm & motum apparentem examinans. Eidem adjungi debuit

PLUTARCHUS LUNARIS, & est *Colloquium de maculis, quæ in Lunæ facie, à Plutarcho conscriptum:* Illud ego Scholijs continuis dilucido, & in ipsis singulorum Philosophorum sensa, severà disquisitione examino. Hîc multa de Montibus, Vallibus, Continente, Oceano, Insulis & fluviis Lunaribus:

multa de Ventis & Procellis: multa de Pluvia, Nive, & Glacie; multa de Cometis & alijs diversis meteoris: multa de Plantis: multa de Piscibus, Feris, Avibus; multa tandem de Hominibus Lunaribus, quæ à Luciano, Plutarcho, & Keplero somniantur.

ARX ASTRONOMICA. Est domus elegans sideribus observandis apta. Talem à Daniæ Rege jussus erigere Tycho, Aulicam fabricatus est, cùm sideream deberet. Nos ita ædificamus muros, ut & sint organa Gygantæa, quibus possimus Corpora Cœlestia observare. Hanc INSTRUMENTIS variis Arcem, hanc SOLIS MENSIS, hanc FILO ARIADNÆ, nec non AUTOMATIBUS diversis ornamus. Modum singula formandi & exarandi scribimus; & multa nova & hucusque non visa delineamus.

MATHESIS AUDAX. Multùm ipsa succrevit paucis annis; & jam in ipsâ uberiùs omnes controversiæ Logicæ, omnes Physicæ & Metaphysicæ, omnes Theologicæ, & præcipuè de gratiâ & libero arbitrio, solâ Regulâ & Circino dilucidantur. Hæc huc videretur omninò pertinere, at ob rationes speciales Cursui Philosophico inseritur, sunt enim multæ in Physica difficultates, quæ non aliter, quàm numeris & lineis expediuntur.



CURSUS MUSICUS.

AN Ars Liberalis, an Mathematica Musica sit, multi curiosè inquirunt, & ingeniosè exponunt. Et Ego, ne inutilibus controversiis implicer, seorsim enarmonica edissero, & ad Libros sequentes reduco.

ORTHOGRAPHIA MUSICA. Tractat de figuris & characteribus, quibus utuntur Musici.

ORTHOLOGIA MUSICA. Agit de eorumdem characterum notarumque denominatione: & in tres Partes subdividitur.

Prima est FER-DI-NAN-DUS-TER-TI-US. Utitur istis voculis, & compendio mirabili Artem copiosissimam tradit.

Secunda, UT, RE, MI, FA, SOL, LA, BI: quarum notarum nomina volumus omninò retinere.

Tertia est apologetica, & complectitur nonnullas eruditas Epistolas prò & contrà scriptas.

Constabit ex Orthologia Artem, quæ vel horâ addisci possit, tot esse tricis implicatam, ut vix annis pluribus soleat; totamque additione unius Notæ reduci ad incredibilem facilitatem. [Admissa est & practicatur nova hæc Musica præter Monsterratensia Monasteria, in S. Crucis Abbatia, & etiam in aliis Cœnobiis, ubi summâ Juvenes facilitate & fœlicitate instituuntur.]

POETICA MUSICA. Omnem Artem Metricam, omniaque Carminum & Versuum genera ad Musica fundamenta reducit.

Huc

Huc ſpectat VOCALIS MUSICA, quæ miro ingenio eas tantùm Notas admittit, quæ vocalibus textûs correſpondent. Hâc Arte fœliciter compoſuit nonnulla Romanus Michael, qui tamen ſyllabarum quantitatem neglexit, cujus Ego etiam rationem habui in nonnullis Concentibus, quæ olim compoſui, & nunc etiam in lucem produco.

ARITHMETICA MUSICA. Tonorum, Conſonantiarum, & Diſſonantiarum differentias numerorum apparatu dilucidat.

GEOMETRICA MUSICA. Eaſdem Linearum proportione exponit.

LOGARITHMICA MUSICA. Et nullibi liquidiùs quàm in ipſa, Enarmonicæ proportiones & menſuræ noſcuntur.

SYNTAXIS MUSICA. Eſt Ars plures voces artificiosè connectendi. *Compoſitoriam* vulgus vocitat, & à me ad tantam reducitur facilitatem, ut unâ horâ, aut ſaltem die poſſit addiſci.

PRODIGIA MUSICA. Complectitur ingenioſas Vocum Implicationes, Fugas, Inſultus, Labyrinthos, &c.

PHILOSOPHIA MUSICA. Ab effectis regreditur ad cauſas, & vocis ſonoræ eſſentiam, ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, relationes, proportiones, actiones, paſſiones, durationes, ubicationes, ſituationes, & habitudines ſpeculatur.

MEDICINA MUSICA. Agit de Armonia & proportione pulſuum, & de morbis qui vocum conſonantiâ curantur.

* * *

CVRSVS

CHIROSOPHICUS.

Sed quo poterit modo habere omnes ſcientias in manu? Illum dabit breviter Chiroſophia, quæ non jam novas Artes tradit, ſed veteres pugno comprehendit. Et ejus partes ſunt.

CHIROLOGIA: quæ eloquitur digitis utriusque manûs.

CHIROGRAPHIA: & hæc manu varios characteres efformat. Sed in quo diſſidet à Chirologia? Explicabo. Chirologia literas digitis exprimit, quas linguâ ſolemus: at Chirographia ineffabiles notas delineat, & ob oculos ponit. Illa Orthographiam communem, iſta Sinenſem imitatur.

CHIRO-RHETORICA: docet attentos Auditores non tam verbis quam manu capi.

CHIRO-DIALECTICA. Eſt contentioſa & bellatrix Facultas, & veritatem propugnans manu clausâ.

CHIRARITHMICA: manu numerat, & difficiles computus digitis expedit.

CHIROMETRIA. Metitur digitis terras, aſtra, & omnia quæ cœli ambitu continentur.

CHIROMUSICA, Artem totam manu curiosè delineatâ complectitur. Hic multa invenies nova, & quæ veteribus & junioribus univerſis ignota.

CHIROCHRONICA. Tempora & ætates coordinat, Æras ad articulos proprios reducit, & hiſtorias expendit. Numeros omnes Eccleſiaſticos juxta ſtylum utrumque (nimirùm, aureum

rerum numerum, Epactam, Mensis diem, Lunæ ætatem, Cyclum Solarem, Literam Dominicalem, &c.) summâ facilitate repræsentat.

CHIROMANTICA. Lineas manûs examinat, & rejectis characteribus, quos superstitiosa antiquitas considerayit, speculatur notas medicas & naturales, & ex illis secreta multa detegit, & multa futura prædicit.

Doctrinæ consequentia & similitudo deposcit, ut Chiromantiæ METOPOSCOPIAM conjûgamus: scripserunt olim de illâ plurimi, non tamen prudenter & exactè.

CHIROMNEMONICA, quæ intentionalium specierum thesaurum pugno claudit. Est valdè necessaria facultas, ut juvetur memoria, aut manuducatur si velis, totamque *Artem Memoriæ*, quam vocat, reducit ad Articulos manuum.

Has Facultates complectitur Chirosophia, in quâ debent Juvenes eruditi esse benè versati, ut si carere libris aut peregrinari contingat, carere Bibliothecâ non possint; Ergo

Ne possis docto Librûm splendore carere,
Sit tibi Chirosopho Bibliotheca Manus.

**********?************

CURSUS PHILOSOPHICUS.

Meritò excludebat à suis scholis Plato omnes imperitos Matheseos, non enim securè poterimus philosophari, nisi Mathematibus simus instructi. Igitur novo spiritu & animo quintum stadium percurramus. Et ut expeditiùs possimus, Librorum, quos hic Cursus complectitur, brevem contemplemur Catalogum.

GRAMMATICA SPECULATIVA. Huc multa pertinent, quæ solent in Logica tradi. [Hunc libellum scripsi, ut scientificè sciremus, quæ velut naturaliter facimus; hoc est, loqui. Ut cujuscunque Idiomatis perfectiones & imperfectiones cognosceremus; & animadverteremus distinctum iri omninò eloquentiam ab exorbitantia: possеque novum condi Idioma, quod nullâ prærogativâ careat.]

Sed cur Philosophicum Cursum à Grammatica incipio? Quia Methodus doctrinalis requirit, ut à notioribus & facilioribus ad minùs nota & facilia ascendamus: Et puer, qui præter Grammaticam Latinam nihil scit, (tales sunt ferè omnes) expeditiùs de Orationis partibus sibi probè cognitis philosophabitur, faciliùs dialecticabitur de vocibus, quàm de conceptibus aut speciebus, quarum vel solo nomine sub initium terrebitur. Accedit, Vocalem Grammaticam multum differre ab Intellectuali, multum Vocalem Logicam à Mentali, & illas ab eo solo miscendas, qui velit Quadrata Rotundis confundere. Ascendat igitur Studiosus per gradus, & si notis juvetur, ut ad minùs nota procedat, cursus erit securior, & facilior, & citiùs ad Metam-Physicæ, seu ad Metaphysicam veniet.

LOGICA. Et quia multa à Logicis video confundi, quæ sunt toto cœlo diversa, ideò voces à conceptibus volui distinguere, & quinque libris Dialecticam

lecticam totam comprehendere: & sunt ipsi.

LOGICA VOCALIS. Et hæc Ars à Grammatica differt, sicut Gladiatoria à gladijfica; nam Grammatica conficit voces, quibus Logica utatur.

LOGICA SCRIPTA. Pauca de illa dicuntur, sed quæ summoperè prodesse possint.

LOGICA MENTALIS. Hæc unica operationes Mentis dirigit, nam vocalis subornat linguam & scripta calamū: differt toto cœlo à prioribus. Et ut vel leviter differentiam insinuem, è multis, quæ ibi persequor, hæc pauca profero. Ostendo inter alia curiosa, dum conceptuum naturam & virtutem examino, Convertentes Conversasque Propositiones, quas calamus & lingua distinguit, si purè sint mentales coincidere. Probo in Syllogismo intellectuali utrãque præmissam coexistere: adeoq; Majoris & Minoris (hoc est, prioris & posterioris) denominationem locum habere in vocibus & scripturis, non in mente. Hinc, quia video omnes Syllogismos, imperfectos quos vocant, aut Conversione terminorum, aut Præmissarum Transpositione, ad perfectos reduci; in intellectu nullos esse imperfectos affirmo. Et quia meus Reformator Dialecticus negat dari Propositiones negativas in mente, quod ipsum efficacissimè demonstrat, etiam *Celarent* & *ferio* à Logica mentali proscribo: *Darij* in *Barbara* inbibi statuo. Et concludo unicum & simplicem syllogismum mentalem, concinnatum in *Barbara*, esse Vertumnum quemdam Logicum, quemdam Proteum Dialecticum, qui ad viginti aut triginta etiam formulas & modos vocaliter possit reduci. Et hinc aperio viam, ut summam Intellectûs potentiam, & summam linguæ impotentiam noscamus.

REFORMATOR DIALECTICUS. Jam ipsius mentionem feci; dari negantes Propositiones negat, & inde multas & grandes consequentias deducit. Fuit olim à me adhuc puero conscriptus, & quia etiamnum placet, debuit Logicæ adjungi.

SEVERA ARGUMENTANDI METHODUS. Est valdè necessaria hoc ævo, ut reformentur abusus non paucarum Universitatum. Ejus partes sunt duæ. Prior speculativa est, posterior practica. Illa Præsidem, Propugnantem, & Argumentantem instruit; hæc ipsam Instructionem appositis exemplis illustrat, à ratione & ab authoritate. Prodiit olim Duaci, & favorem multorum meruit, sed recudetur multò auctior.

PARALOGICA. Ostendit non dari Entia rationis; omniaque, quæ huc usque talia dicta vel credita, esse Entia labii. Hunc Librum attentè legi suadeo, nam si semel proscribantur à Gymnasijs chimæræ & figmenta rationis, securiores nascentur consequentiæ, quæ hucusque remorante formidine aboriri & periclitari dicebantur.

METALOGICA. Ne ingrederer inutilem Quæstionem, quæ inquirit, Anne Universalium Contemplatio ad Logicam; an potiùs ad Metaphysicam pertineat? neutri illam adscribo, sed Metalogicam instituo, in qua de Universalibus & Prædicabilibus (nimirùm; Realibus, Modalibus, Formalibus, Expressivis, Positivis, Negativis, Internis, Externis, &c.) novâ arte & industriâ discepto.

PRIMA PHILOSOPHIA. Sic placuit vocare illam scientiam, quæ examinat Prima Principia. Hæc apud alios sunt plurima, & dicuntur Axiomata, & tamen apud alios tam pauca, ut miremur Ingenii potentiam, quæ ex tam paucis fundamentis intulit tam multa & tam varia.

METAPHYSICA PURA. Porrò PRÆDICAMENTUM est Prædicatorum superiorum & inferiorum coordinatio: & SYSTEMA est decem Prædicamentorum sub uno Ente contextus: & hunc Metaphysica contemplatur. De hac scientia, aut potiùs sapientia, scripserunt quàm multi; & singuli non Prædicamenta solùm, sed & Scholas contexuerunt, ita ut nec apud ipsos reperire sit Prædicamentum purum, neque puram Scholam. Nos doctrinę puritati studuimus, & duodecim aut etiam plures, puras & putas Scholas aperiri curamus. Eæ sunt

SCHOLA NOMINALIS. Respondet nomini, & omnes terminos, qui sunt Philosophorum proprii, exponit; ostenditque multas & varias in Philosophia, multas in Theologia Quæstiones, quæ videntur gravissimæ, re medullitus examinatâ ad meram Logomachiam reduci.

SCHOLA REALIS. Ens à suis attributis, & à Prædicamentis, hæc inter se & consequenter genera à differentiis reali distinctione intercidit, & à gravissimis difficultatibus facillimo negotio se subtrahit.

SCHOLA MODALIS. Quæ in præcedente per realitates, omnia in hac per modos explicantur. Complectitur doctrinam variam subtilemque; & maximè necessariam hoc ævo, quo ignotæ antiquis Modales entitates obtinent, & multa earumdem ubertate explicantur.

SCHOLA FORMALIS. Minori ipsa dispendio Modos in formalitates convertit. [*Formalitatis* nomine intelligimus Conceptum objectuum distinctione ex naturâ rei, aut præscissione objectivâ (coincidunt enim) discriminatum.]

SCHOLA EXPRESSIVA. Omnia hîc parciùs per expressiones meras & connotata salvamus. Subtilior præcedentibus & politior; sed non mediocribus tradenda ingeniis: nam sicut prima aut etiam secunda judicatur facillima, & quæ ab omnibus addisci queat: hæc quinta videtur subtilissima, & quæ à pingui Minerva percalleri non possit: subtilia enim non nisi subtilibus tradenda sunt.

SCHOLA NEGATIVA. Omnia ad huc parciùs hîc per formas negativas exponimus & illustramus.

SCHOLA ACTIONALIS. Cœperunt Actione Juniores uti, imò & abuti sæpè: & quia Eminentissimus Cardinalis de Lugo, gentis Hispanæ gloria, Durationem ab illa non distinguit; & alij eandem doctrinam ad alia Prædicamenta extendunt, volui exclusis multis formis per solas Actiones totam Philosophiam materialem salvare.

SCHOLA LOCALIS. Hodie est valdè communis, & apud Viros magnos in pretio, statuitque omnia corpora

corpora permanentia ubicatione & situatione merâ: & successiva omnia distingui mero motu locali.

Schola Magnetica. Ponit ob oculos Herculeum lapidem, & illo substruit novam Philosophiam, quam existimat non posse facilè arietari vel dejici, quòd sit supra firmam petram fundata. Complectitur rara & inaudita multa, quorum notitiâ non debet Philosophus noster destitui.

Schola Chymica. A Viro, qui doctus videri vult, ignorari non potest. Agit in Metaphysica de Ente Chymico, & sub illo de decem Chymicis Prædicamentis: In Physicâ, de Principiis & causis Chymicis: In Libris de Cœlo & Mundo omnia Chymicè exponit, & non sine ingenio è Luce priùs creatâ, singula elementa & sphæras vi caloris, juxta Regulas Artis educit. In Libris de Animâ, analogiâ delectatur, & Positiones Chymicas ad Vegetativa, Sensitiva & Rationalia extendit. Etiam audet angelitùs & divinitùs; & Prophetarum Patrumque putat Testimoniis juvari: quæ non vult omnnmò metaphoricè intelligi, sed asserit in ordine rerum immaterialium dari aliquod spirituale, quod analogum sit luci corporeæ.

Hæ Scholæ sufficere debere videbantur: at uberioris doctrinæ gratia etiam istæ debuerunt adjungi: videlicet:

Schola Infinita. In cujus priori parte rerum Infinitas, Immensitas, & Æternitas examinantur: in posteriore specialiter agitur de Syncategorematico Infinito, hoc est de Indefinito.

Schola Eucharistica. Quæ ex Sacramento Venerabili plurimas consequentias deducit, quæ Rem Philosophicam illustrant & exornant.

Schola Miraculosa. Quid in singulis Prædicamentis ordinaria: quid absoluta Dei potentia valeat, accuratè examinat, & vires naturæ metitur.

Schola Deiformis. Est omninò curiosa. Supponit multa à Philosophis, multa à Theologis, exponi & illustrari, recurrendo ad Deum, formam extrinsecam, aut etiam efficientem causam; & inquirit, An eodem modo possint omnia? & hîc ubi ad Deum ventum, Philosophiæ Puræ finem ponimus.

Hucusque à ratione proceditur, transitur ad authoritatem, & examinantur Hominum Illustrium, (antiquorum, juniorum) Resolutiones, quæ hodie in pretio.

HETERODOXA METAPHYSICA: Huc præcipuè Authores subsequentes pertinent.

Democritus. Antiquissima hujus Philosophi doctrina est: & juxta ipsam omnia componuntur ex atomis.

Empedocles. Democriti doctrinam promovet, & ex atomis quatuor elementa, & ex his omnia ingeniosè constituit.

Pythagoras. Priores dilucidat, Elementa distinctione accidentariâ discernendo. Ausus & Theologicè fuit, & fœlici discursu carnis resurrectionem tradidit: quam sententiam, verissimam & sanctissimam, ejus Discipuli ad varia deliria detorserunt.

Plato. Fuit olim celeberrima Academica secta Scholiarchâ Aristocle, qui posteà Plato; & ante Div. Thomam ferè unica in toto Orbe terrarum.

Aristoteles. In magno tamet si olim honore apud Ethnicos, apud Catholicos damnata fuerunt ejus dogmata, proscriptaque ab Ordinibus Religiosorum; & quia humana omnia caduca, & inconstantia, iterùm revocata & evecta à Scholasticis, sed tandem iterùm excussimus servile jugum, & veritatem unam potius hodie, quàm totum Peripatum curamus.

Virgilius. Quem maximum fuisse Philosophum Ecloga sexta, & Georgica universa testantur.

D. Thomas. Est enim hoc sæculo insignis Thomistarum Doctrina, & in multis Universitatibus sola: sed aliqua videtur supponere, quæ libenter videremus clariùs dilucidari.

Scotus. Subtilis est, & cui frustrà impallescit, qui ingenium eximium non habet.

Lullius. Multa promittit, at *promissis dives quilibet esse potest.*

Ramus. Debuit huc poni, & specialiter examinari propter aliquos, quibus rara potiùs, quàm vera sunt chara.

Paracelsus. Tradit Chymicam Philosophiam; cujus nos etiam Dogmata, prout jubet veritas, rejicimus aut approbamus.

Campanella. Habet multos Discipulos, præcipuè in Gallia. Verum quia afflictus Vir semper caruit Libris & exercitio, semper tranquillo animo, deberet ejus opera aliquis Vir doctus rescribere & ad consona fundamenta elimare.

Lorca. Est in pretio apud Cistercienses præcipuè Hispanos, qui supponi præcipiunt, Gratiam Peccatumque in eodem instanti intrinseco & reali esse simul; quod Lorca tenet; & hinc totam Dialecticam, totam Physicam & Metaphysicam; imò utramque Theologiam (Naturalem & Moralem) alterant.

Joannes Marcus. Platoni est ingenio & doctrinâ simillimus; sobriè tamen: Ideas, sed sensu, aut vero, aut saltem probabili admittit, & de rerum arcanis principiis felicissime philosophatur. [Est Magnificus Vir, Bohemiæ Physicus; (Græcè *Archiater*, Hispanè *Protomedicus*) Primarius Universitatis Carolinæ Professor, Libris optimis clarus, & altiùs quàm cæteri sapiens.]

Mannagetta. Physica Chymicis conciliat: & sublato discrimine se expedit à maximis difficultatib. [Hunc post alios enumero, quoniam Ideas suas edidit tardiùs, & plerasque adhuc supprimit, nec typis mandari permittit. Est hodie Viennensis Universitatis Rector & Professor Primarius: summi ingenij & studij Vir, & apud omnes maximæ authoritatis.]

Cartesius. Hollandis ipse & etiam Anglis placet. Parco Naturæ Genio studet, Localem Philosophiam scriptis subtilissimis dilucidavit. Habet Discipulos doctos, & editis Voluminibus claros; & ut video, pauculis opinionibus decircinatis aut sublatis, cæteræ irrepunt, & erunt aliquando communes.

Helmon-

Helmontius. Novi Hominem. Fuit pius; doctus & celeber: Galeni & Aristotelis juratus Hostis; sub quo ægri non laborabant diu, nam secundâ aut tertiâ ad summum die carebant vita aut morbo. Vocabatur præcipuè ad illos, qui ab alijs Medicis deserebantur, è quibus non paucos restituit vel frendentibus illis, à quibus fuerant condemnati. Prodierunt jam tandem ejus Opera, & in ipsis continua contra Peripateticos & Galenistas Satyra, multis onusta folijs, fructu tenui; quæ quoniam ab Empiricis & Paracelcistis in Galenistarum odium promoventur, debuerunt à nobis medullitùs examinari.

Valerianus. Est re & nomine Magnus; & pollet felicissimo ingenio; multa contra Aristotelem scripsit, quibus ejusdem maximos errores detexit; sed quia ingenia etsi simillima sint, in omnibus convenire non possunt, observavi nonnulla, quæ meo non consonant, & de illis scripsi specialem tractatum, quo Heterodoxam Metaphysicam claudo.

Hæc est Idea nostræ Philosophiæ; quâ, ut puto, non deberet carere, qui Professorem agit: nam Discipulus, ut bonus sit, unam solam scholam percallere jubetur: hoc enim sufficit ingeniosè responsuro sub alio: at Magistri est obligatio multò latior; nec videtur tanto nomine dignus, qui aliorum opiniones ignorat.

Hucusque rerum essentias contemplati, quid Deus potuerit facere vidimus; non quid fecerit; ergo progrediamur ulteriùs, & Opera Divina discutiamus.

PHYSICA. Agit de substantiâ existente; & quia est multiplex ista, etiam Physica est multiplex.

Physica Naturalis. Nomen mordeat aut irrideat Erasmus, nam & ipse irridetur à nobis, qui videmus ab eodem ignorari, aliud esse unde nomen desumitur, aliud quod sonat. *Canonicus Regularis* non est Canonicus canonicus, ut ille objicit; nec *Physica Naturalis* est Physica physica, quod ipse objiceret; sed Physica prorsus inanima, nam hodie actiones quæ intentionales non sunt, *Naturales* vocantur. Est hujus Facultatis objectum Corpus inanimum; partes duæ, Analytica seu divisoria; & Ergastica seu Productoria. In primâ parte totum Mundum ob oculos pono, illumque in quinque elemēta (Terram, Aquam, Aërem, Ignem & Ætherem) divido, & singula membra divisionis examino. Elementum subdividere in substantiales Materiam & Formam frustrà conor, & hoc genere indivisibile esse statuo. Materiam in partes integrantes subdivido, & minimas partes reperio, quas voco *Atomos*, seu *Indivisibilia*. In secundâ omnia breviùs decîdo, quoniam in scholâ realiteum Prædicamento actionis, omnia sunt radicitùs examinata.

Physica Elementaris: quæ de corporibus sublunaribus disputat.

Physica Coelestis; quæ de Cœlo, Syderibus, & Constellationibus.

Physica Meteorologica; quę de Novis Stellis, Cometis, Fulminibus, Fulguribus, Tonitruis, Iride, Halone, &c.

Physica Vegetativa. Planta est ejus objectum, & eâdem methodo (videlicet Analyticâ & Ergasticâ) omnia expendit.

Physica Sensitiva. Agit de Bruto, & præcipuè de peregrino, & nostris Scholis minùs noto.

Physica Humana. Sibi proponit considerandum Hominem; & quia

in ipso reperit duas partes substantiales (Corpus, Animam) priùs illud, posteriùs istam contemplatur. Cùm de illo, de ejus figurâ, membris, ossibus; venis, nervis, & humoribus disputat. Cùm de istâ, de ejus essentiâ, potentijs, habitibus, speciebus, actionibus, ubique proprias opiniones expendimus, & oppositas accuratè proponimus, & robustè impugnamus.

Physica Angelica. Agit de Cœlestibus Intelligentijs, quas *Spiritus* vocamus vel *Angelos*. Semper servatur eadem Methodus.

Physica Media. Ejus vel nomen hodie ignotum, & tamen nostro ævo repertæ sunt non paucæ Facultates Mediæ. Concionatoria Ars, quam à D. Bernardo didicerunt Hispani, est inter Rhetoricam & Dialecticam Media: Logarithmica, quam invenit Neperus, inter Arithmeticam & Geometriam est Media: tota Philosophia Moralis inter Chimæricam & Realem Media: in ipsa Metaphysica invenerunt Juniores Entia Media: inter Substantiam & Accidens multa Helmontius, inter Accidens & Modum multa alii. His positis transitur ad Physica, & quia substantiæ nobis notæ istæ sunt, videlicet *Inanima*, sive *Inorganica*, *Vegetativa*, *Sensitiva*, *Humana* & *Angelica*; In hoc Libro inquiretur, an admittendæ sint substantiæ Mediæ? Porrò Zoophyta esse corpora quædam inter Plantas & Animantes media, communis affirmat opinio. Anne verè? & si verè, An-ne Magnes inter Lapides & Plantas medius est? An-ne Sydera vivunt vitâ progressivâ Hominibus & Brutis communi, cùm tamen Animalia non sint? An etiam ipsa inter Plantas & Animantes media? An-ne Simij, quorum sunt versutiæ mirabiles; an-ne Canes; an-ne vulpes, &c. poterunt dici Animalia media, Irrationalibus nobiliora, & ignobiliora Rationalibus? An-ne tandem inter Homines Angelosque sunt aliæ creaturæ, quæ respectu Angelorum corporeæ, & respectu Hominum spiritales dici queant? quales sunt illi, qui à Veteribus dicti, *Manes, Lares, Penates*, &c?

In controversiis singulis examino, quid divinitùs fieri potuerit, quid sit factum. Ubique Fidei Dogmata, & demonstratas Positiones inquiro; rariùs invenio; & idcircò plerumq; probabilibus & incertis diffidens, persono, *Non iri multiplicatum Entia sine necessitate.*

Physica Divina. Ab alijs dicitur Theologia Naturalis. Agit de Deo præscindendo à miraculis & Fide supernaturali. Stat princip js merè Naturalibus. Summè est necessaria Theologis ista Physicæ pars, sine quâ non poterunt ullo modo intelligere, quæ divinitùs sunt revelata.

Hîc dabitur Philosophia Mathematica, & ipsa est, quę Mathesis Audax dicebatur. Huc eam ponere debui, multæ enim Controversiæ, quæ obscuriùs in Physicâ & Metaphysicâ traduntur, non possunt aliter decidi, quàm ad numeros & lineas recurrendo.

CURSUS THEOLOGICUS.

E X DEO *naturaliter cognito ad DEUM sublimiùs cognoscendum ascendimus, rationis aciem Fide supernaturali juvamus, jactis constamus fundamentis, & quia de ipso generosè sentimus, multa quæ hactenus in scho-*

in scholis recepta, necessariò mutavimus. Hunc Cursum complemus his libris.

PRÆCURSOR THEOLOGICUS. Omnes Quæstiones Proœmiales, quę sub initium Theologiæ disputantur, edisserit.

DEUS SAPIENS. Agit de Scientiâ Dei; nimirùm de simpliciter intelligente, de Visivâ, & de Mediâ.

DEUS VOLENS. Agit de Voluntate Dei: nempè de Necessariâ & Liberâ. Item de Noluntate; & Opinionib. Philosophicis consonans, ostendit Noliciones in Deo non reperiri.

DEUS PROVIDUS. Et in hoc Libro de Providentiâ, de Prædestinatione, de Reprobatione, de Directione secundarum Causarum (materialium & immaterialium) disputatur.

DEUS TRINUS. Differit de sublimi Trinitatis Mysterio: & quia Theologica ad Philosophicas Positiones elimat, tradit multa subtilia, nova & rara.

HOMO PURUS. Examinat, An sit possibilis natura pura, & qualis in illo statu esset Homo, qui sine gratiâ & sine peccato nasceretur?

HOMO INNOCENS. Considerat primos Homines in Paradiso, nondum lapsos, & illius status fœlicissimi edisserit prærogativas.

HOMO LAPSUS. Edisserit Hominis post peccatum miserias, (reales, moralesque) & aliqua præloquitur de Medicinâ, quæ fuit illi divinitùs data.

MARIA. Sunt in Theologiâ multa, quæ specialiter concernunt Deiparam, & debuerunt specialiter examinari.

CHRISTUS. Et hic Tomus subdividitur in Libros quinque, quos breviter enumerabimus.

UNIO HYPOSTATICA. Disputat de essentiâ & proprietatibus unionis, diversis Scholis se attemperans.

CHRISTI CORPUS. Et multa edisserit, quæ licèt omissa hucusque à Philosophis Theologisq;, non debent ab Eruditis ignorari.

CHRISTI ANIMA. Et hîc uberiùs multa de substantiâ, potentiis, attributis, virtutibusque.

CHRISTI VITA. Non Historicus tantùm, sed & Theologicus hic Liber est, imò etiam Mathematicus, quoniam Christi actus pensitat, & eorumdem loca, tempora & rationes disquirit.

Expectaret hic aliquis libros de Sacramentis, at meliore consilio illos transtulimus ad Theologiam Moralem: pauca enim in singulis Physica, & tamen illa in Eucharisticâ Philosophia dilucidavimus.

CVRSVS
PHILOSOPHIÆ
MORALIS.

Genius meus merâ speculatione delectatur. Improbo labori ille insudat: & sæpè potiùs ut res cognoscat, quàm ut habeat: nam de divitiis & dignitatibus scripsi multa, cùm tamen illas contemnam, has non ambiam. At nescio quo fato factum sit ut decuplò plura scripserim de Practicis, quàm de speculativis. Vt video cessi tempori, loco, amicitiæ; debuique respondere Morales Decisiones rogantibus. Resolutiones tandem meæ tot fuerunt, ut debuerint in classes & libros distribui, & potuerint paucis insertis & additis ad hanc reduci formam, quam præ se ferunt. Eas ego majoris claritatis gratiâ ad duo Volumina reduco, ne sublimiora ab aëre pendeant, funda-

men-

mentalibus Thesibus ignoratis. Primum Volumen est:

Philosophia Moralis. Agit de Ente virtuali, & ejus istæ partes sunt:

Orthographia Moralis. Agit de Characterum & literarum potestate virtuali, de significatione morali, & moralibus linearum passionibus & attributis.

Grammatica Moralis. De Moralibus Declinationibus, Conjugationibus, Casibus, Numeris, Vocibus, Modis, Temporibus & Personis disceptat.

Grammatica Sacramentalis. Putant plerique Sacramentales omnes disputationes esse Theologicas, cùm tamen pleræque grammaticæ sint: nam Sacramenta rebus & verbis confici, docuit nos Synodus Florentina; & quia res sunt notiores, omnes aut ferè controversiæ reducuntur ad verba, & ideò debui scribere Grammaticam Sacramentalem, ut vel hinc dissolverem Quæstiones difficillimas, quæ ex Theologiæ fundamentis non possem.

Thesaurus Moralis, & est Tractatus de verborum significatione: & multa digna scitu complectitur.

Logica Moralis. Disputat de Terminis, de Propositionibus, de Discursibus & syllogismis virtualibus: ubi multa nova & subtilia; quæ à Conscientiâ consultis, & à Judicibus, Patronis & Actoribus ignorari non possunt. [Puto me esse primum qui Moralem Dialecticam reduxit ad leges & regulas, & multum hîc ingenij & studij impendisse; totumq; fore librum summâ cum utilitate legendum.]

Accessit Praxis Judicialis, quæ est Liber summè necessarius Judicibus (sæcularibus, Ecclesiasticis & Regularibus) ut sciant processum instituere, & in visitationibus procedere: frustrà enim veritas in tribunalibus quæritur, si carent Dialecticâ Morali Judices, quâ in ejusmodi labyrinthis regantur.

Metaphysica Moraliter Examinata. Agit de Ente virtuali, de virtualibus ejusdem attributis, de Substantiâ virtuali, de virtuali Accidenti, de virtualibus Modis, de virtuali etiam Quantitate, de virtuali Qualitate, de virtuali Relatione, de Existentiâ & Duratione virtuali, de Actione & Passione virtualibus, de virtualibus Loco & Situ, & tandem de Habitu virtuali.

Physica moraliter examinata. Omnia, quæ in Physicorum Libris; omnia, quæ in Libris de Animâ, de Generatione & Corruptione, de Cœlo & Mundo, &c. ediderunt Peripatetici; cooptat Moribus, ut altiùs intelligat essentiam, ingeniumque virtualitatum.

Medicina moraliter examinata. Agit de necessitate Medicorum, & morali infirmorum regimine. [Est Liber valdè necessarius hoc ævo, in quo relaxatio certissima subrepit in sanctissima claustra sub nomine pietatatis & necessitatis.]

Politica Speculativa. Quæ multa curiosa & subtilia complectitur, quibus ingenium colitur, & Practica debet & formari & firmari.

Res Nummaria. Monetæ essentiam & proprietates contemplatur, & multas inauditas eximiasque difficultates summâ facilitate & securitate decîdit. [Sed quis me nummis implicat, qui illorum vel nomē fastidio; qui eosdem judico Ecclesiasticos multos perdidisse? universos gravasse? Ut illorum quiditatem examinem, & viam aperiam dispu-

disputationibus de Redemptione, Satisfactione, Merito, Præmio, & Pœnâ, in Cursu Theologico instituendis; quarum omnium solutio à Rei Numinariç cognitione penitiore dependet.

HYPERETHICA, est Philosophia Moralis eminentior, quam isti componunt Tractatus.

VIRTUS. De Actibus humanis & præcipuè de bonis & laude dignissimis disserit, eorumq; essentias, passiones, & proprietates meditatur.

PECCATUM. Examinat Actuum humanorum malitiam, & exploratâ ejusdem naturâ & essentiâ ad passiones recurrit, & omnes contemplatur exactè.

BEATITUDO Fœlicitas æterna est, quæ manet Viros sanctos post mortem, quæ debuit moraliter examinari.

POENA. Ago de illâ, quæ peccatores manet, & duplex est: temporanea & æterna; illam patiuntur in Purgatorio Animi Hominum, qui mortui in Domino: hanc verò cæteri, qui sunt æternùm miseri, & debent à nobis altè considerari. Descendamus, obsecro, in Infernum viventes, ut Stygiorum ignium horrore & terrore perculsi, tam purè vivamus in Mundo, ut non ad pœnas posthumi, sed ad gloriam æternam transferamur.

DEUS. Si ascendero in Cœlum, illic est; si descendero in Infernum, adest. Multa essent, quæ examinari possent, at quia ad Theologiam paramus Juniorum ingenia, in hoc Tractatu Atheosin Dei, & Apotheosin Hominis radijs moralibus dilucidabimus.

***

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS.

MUlta in Morali Philosophiâ exposuimus, quæ nos manuducent omninò, cũ Theologica & Divina tractabimus. Est igitur MORALIS THEOLOGIA, quædam Scientia cœlestis, quæ Actus humanos in ordine ad Deum, & Deum in ordine ad Actus humanos meditatur. Illamq; in Fundamentalem, Præterintentionalem, Decalogicam, Sacramentalem, Canoniçam, Regularem, Civilem & Militarem dispertimur.

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS, examinat Ethicorum Principia, & an secura sint inquirit, & per omnes Moralitatum campos ingeniosè & etiam audacter discurrit. Ingeniosè, quia multas novas difficultates ponit, & exponit: audacter, quia ubiq; interrogat & dubitat, & nihil omninò resolvit. Placuit in hâc primâ editione mentes aliorum experiri & moneri, ut aliqua vel expungam, vel alterem; multa enim ibi sunt ingenij periclitandi gratiâ posita, quę speculativè fortè admitti possent, non tamen permitti debent practicè.

THEOLOGIA PRÆTERINTENTIONALIS. Hæc mihi præ cæteris placet, & Amicorum, à quibus lecta, favorem & applausum promerita, per totum Decalogum & Sacramenta excurrit, & singula accuratè resolvit. In duas partes dividitur. Altera est Speculativa, altera Practica. Illa unicâ paginâ doctrinam tradit, quæ Lectorem manuductura sit in toto Libro. Hæc copiosa est, & varios & difficiles casus eodem filo resolvit. Cui debebit meus Lector, ut unius horæ spatio (non re-

*** qui-

quiritur plus, ut Pars addiscatur Theorica) librum integrum memoriæ mandet, & Casus toto Cœlo diversos ad eadem fundamenta reducat. Ferè omnes Casus illa, qui in Theologiâ Morali solent controverti, complectitur, & Decalogicæ præmittitur, quoniam in expositione ipsa suâ non pendet ab intelligentiâ Decalogi. Post ipsam dabitur

THEOLOGIA DECALOGICA. Tametsi in Philosophiâ Morali de Actibus humanis (& bonis & malis) multa dicta, omnia hîc uberiùs, altiùs & exactiùs tractantur. Hîc examinatur radicitùs, Quid sit bonitas & malitia moralis? An ante præcepta sint mores? An Deus aliquid Hominibus possit præcipere? an possit Angelis? & cur possit utrisq;? An aliquid de facto præceperit? Quid & quantæ sit authoritatis Decalogus? quî ille debeat intelligi? Istis examinatis Legem ostendimus DEI digito non solum Tabulis inscriptam lapideis, sed etiam cordibus, hoc est, Cōscientiæ; ejus characteres in Certâ clariùs, obscuriùs in Probabili, obscurissimè in scrupulosâ, vix in Conscientiâ Dubiâ legi.

Et ut Conscientiæ penetralia explorentur, & nihil in corde ignotum maneat, hos Tractatus addemus.

DE CONSCIENTIA DUBIA. Quid sit ipsa, paucis lineis declarat, & deinde in parte practicâ multos Casus proponit, quos eadem lege & methodo jubet dissolvi.

DE CONSCIENTIA PROBABILI. Non debet cum dubiâ confundi, à qua differt, ut lux à tenebris. Opinatur enim probabiliter, qui ducitur ratione gravi; dubitat verò positivè, qui levi; negativè, qui nullâ. Hîc videbis, quid debeas facere aut non facere, cùm sunt probabilia motiva.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA. Et in isto demonstrabo evidenter nullo alio modo meliùs te posse eam definire, quàm dicendo, *Conscientia scrupulosa, est Conscientia superba & ignorans*, qui enim vel doctus est, vel humilis, scrupulis angi non potest. Ostendam scrupulos ad probabilitatem potiùs, quàm ad dubiū reduci: qui enim scrupulosum se esse scit, jam habet prudentem & rationabilem causam, ob quam possit contra remorsum qualemcumq; præsumere; jamq; habet causam verisimilem, ob quam debeat judicare pro se, quousque demonstretur contrarium.

DE CONSCIENTIA CERTA. Et spicilegio instituto hîc determino, quid in materiâ morum certum sit, nec debeat ad quæstionem reduci.

In Tractatibus istis, ut paulò antè insinuavi, sic procedo. Præmitto brevissimè in singulis veram doctrinam; illam efficaciter propugno & dilucido; & Lectoris mei mentem informo. Tūc subscribo centenos & centenos casus, quos omnes unâ & eâdem solutione decîdo. Et quidem hæc methodus valdè facilis, & quæ possit Lectorem vel unâ horâ millium Casuum solutionem docere.

Omnia, quæ in Libris de Conscientiâ scripta, ad Legis Divinæ Tabulas, hoc est ad Dictamen & actus Intellectûs spectant.

Cùm ergo non solùm cordibus, sed & Tabulis lapideis legem divinā Deus inscripserit, has etiam ob oculos pono & expono; primò juxta textum Hebræum, & secundò juxta Græcum, tertiò juxta Latinum. His positis ad singula præcepta descendo, dividendo Decalogum in quatuor Sectiones diversas. Ad primam pertinebunt peccata, quæ quis committit contra Deū; ad se-

ad secundam, quæ contra seipsum: ad tertiam, quæ contra Parentes: ad quartam, quæ contra suum Proximum. In singulis Occisionem, Fornicationem, Furtum & Mendacium reperiemus. Quæ si committantur opere, in octo priora Præcepta Decalogi impingent: si cogitatione & consensu, in nonum: Et, si verbo, persuasione & scandalo, in decimum.

THEOLOGIA SACRAMENTALIS. Omnia expendit, quæ sunt Moralia, & singula Sacramenta concernunt, & subdividitur in novem Libros. Illa sunt

SACRAMENTUM UT SIC. Expendit Sacramenta in genere; hoc est, plurimas difficultates omni Sacramento communes.

BAPTISMUS. Ejus institutionem, essentiam, & proprietates edisserit, multos casus solvit, qui possunt in hâc materiâ accidere.

CONFIRMATIO. Pauci de illâ ex professo scripsêre, & ideò majori studio indiguit.

POENITENTIA. Multa sunt in hoc Sacramento, quæ ignorari nõ possunt; multa difficilia & obscura, quæ debuerunt radicitùs examinari.

EUCHARISTIA. Agit de Sacrificio Missę, in quo Sacramentum conficitur: de ipso Sacramento ineffabili: & de ejusdem receptione, quę vocatur Communio.

ORDO. Disputat de Minoribus, [Primâ-tonsurâ, quæ si Ordo non est, est saltem ad Ordines janua: Ostiaratu; Exorcistatu; Lectoratu; Acolytatu:] de Majoribus [Subdiaconatu, Diaconatu, & Sacerdotio] & de Supremis [Episcopatu & Pontificatu.]

MATRIMONIUM. Illud in jure naturæ considerat. Quale nunc sit apud Judæos, Mahumetanos, & Idololatras examinat. Quale etiam apud Christianos Acatholicos. Tandẽ ad Orthodoxos veniens edisserit multa specialia.

SACRAMENTALIA. Illa hic Librr enumerat; à singulis Sacramentis distinguit, eorumdemque proprietates expendit.

APPENDIX DE MUTIS ET SURDIS. Sunt Homines cõmiseratione dignissimi, & tamen qui medijs sufficientibus non carent, ut possint salvari, si velint. Eos tenemur juvare quantum possumus, & Theologica doctrina permittit, & ideò hunc Librum volui addere, ne aliquid videretur huic Operi Morali deesse. Examinabo in ipso, Qualiter peccare possint, soleantq; ? An possint Sacramenta suscipere? An administrare? Et quomodo debeant Superiores illorum conscientias gubernare?

THEOLOGIA CANONICA. Agit de Catholicâ Ecclesiâ, & dividitur in varios Libros. Do titulos.

ECCLESIA UNICA. Agit de Regulâ credendi, omnesque controversias Fidei ad unicam solam reducit. Est Liber valdè utilis, & qui plurimis profuit, & in posterùm prodesse poterit.

MONARCHIA ECCLESIASTICA. Agit de Christo Ecclesiæ Catholicæ Authore, de ejus Vicario, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prælatis, & cæteris Ecclesiæ Administris. Hunc Librum hi Tractatus constituunt.

PONTIFEX. Sic dicitur per antonomasiâ, qui Summus, qui est Pro-Christus in terris, cujus est summa authoritas, à quâ cæteræ Christianæ pendent.

CARDINALIS. Agit de Eminentissimorum Dominorum institutione, necessitate, authoritate.

Legatus. Sunt Nuncij Oratores Pontificis; at Legati Vicarij: & ijdem multa habent privilegia communia, multa specialia, quę debuerunt medullitùs examinari.

Episcopus. Quanta sit hujus statûs dignitas, & quanta requiratur in promoto perfectio, quanta potestas, & quanta etiam à Deo, à Pôtifice, & Principibus sint illi privilegia concessa, diligenter inquirit.

Possemus hîc de Abbatum & Prælatorum authoritate, & jurisdictione disputare, sed quia de his in Theologiâ Regulari ex professo, non est cur eadem repetamus.

Clericus. Agit de immunitate Ecclesiasticarum Personarum.

Templum. Agit de immunitate Ecclesiarum, & aliorum locorum.

Jus Pontificium. Ejus vires & authoritatem examinat: & quæ tractata ab alijs fusè, ad compendium reducit.

THEOLOGIA REGULARIS. Disputat de Regulis & Legibus Religiosorum. Prodijt iterùm iterumque (Brugis apud Nicolaum Breyghelium anno 1640. & Francofurti apud Theobaldum Schönvvetter anno 1646.) & quia non ampliùs prostant Exemplaria, multò auctior iterùm recudetur. Ejus partes sunt duæ. In primâ isti Tractatus reperiuntur.

Basis Theologiæ Regularis. Et est Scholion D. Bernardi elimatum ad Regulam D. Benedicti; in quo aureus ille hujus Melliflui Doctoris liber, qui inscribitur *de Precepto & Dispensatione*, accuratè illustratur, & ejus doctrinâ formatur Discipulorû mens, ut altissimè sequentia intelligat.

B. Hildegardis in Regulam S. Benedicti Notæ et Animadversiones Morales. Fuit mei Bingensis Monasterij Abbatissa, Dei spiritu plena. Virgo verè pientissima & doctissima, & multò adhuc benignior & clementior Bernardo. Hanc Regulæ Expositionem, quam hîc damus, à Christo illa revelatam seu dictatum affirmat: sed quia multa singularia complectitur, debuit à nobis severiore calamo dilucidari.

Monachus Primitivus. Regulam hic Libellus accuratè considerat, & quo olim intellecta fuerit modo à Cisterciensibus, & alijs Sanctissimis Viris exponit & edisserit multa, quę jam sunt obsoleta, & deberent veterum exemplo ad Monasteria revocari.

In secundâ autem Theologiæ Regularis parte, ponitur noster Commentarius in Regulam D. Benedicti. Est Historicus, Scholasticus, Judicialis, Politicus: & in ipso clauduntur libri sequentes.

Regula Religiosa. Agit de Legibus, & specialiter de fundamentalibus, quæ nominantur *Regulæ*, & exponit qualiter obliget Benedictina.

Religiosi ante Christum. Fuisse multas & varias Religiosorum Hominum Congregationes ab ipso Mundi initio usque ad Christum ostendit.

Religiosi sub Christo. Probat Christum Dominum vitam Religiosam egisse: item Apostolos: etiam sub illud tempus multos alios.

Religiosi post Christum. Et hic eos Liberâ Christo ad Nos sine interruptione perennasse demonstrat.

Monachorum Genera. Multa enumerat & exponit.

Novitius. Agit de dubijs quæ circa Novitiorum admissione, educatione, & promotione oriri possunt.

Sta-

STABILITAS. Qualiter intelligenda sit? Et an sit speciale votum in Ordine S. Benedicti?

VOTA SUBSTANTIALIA. Sunt Obedientia, Paupertas, & Castitas, & de singulis accuratè tractatur.

OFFICIUM DIVINUM. Agit de ejus ritu, solennitate, antiquitate: item de obligationibus, sub quibus tenentur Religiosi Horas suas recitare.

REGIMEN MONASTICUM. Agit de Abbate, Præposito, Priore, Decanis, Celerario, Sacristâ, Novitiorum Magistro, Ostiario, & cæteris Communitatis Administris.

TRIBUNAL. Agit de Capitulis privatis, Visitationibus, Correctionibus, & Litibus Religiosorum.

OPUSCULA D. BENEDICTI. Ponuntur aliqua, & breviter dilucidãtur.

REGULA MILITUM TEMPLI. Ponitur, & brevi Commentar. illustratur.

REGULA S. AUGUSTINI. E diversis, quas Doctor Divinus composuit, illa exponitur, quæ à nostri ævi Religiosis admissa.

REGULA S. FRANCISCI Unica est, eaque severissima, & ex disputatis in toto Regulari Opere lucem accipit.

REGULA FRATRUM ET SORORUM DE POENITENTIA, TERTII ORDINIS S. FRANCISCI HABITANTIUM IN COMMUNITATE.

REGULA FRATRUM ET SORORUM IN DOMIBUS PROPRIIS HABITANTIUM.

Commentario Morali, & multorum Casuum Resolutionibus, quæ possunt Religiosis universis prodesse, explicantur & dilucidantur.

THEOLOGIA CIVILIS. Humanas sæculares omnes componit cum lege Divina. Omnem civilem authoritatem ostendit esse à Deo, omnem esse ab Hominibus, sed diversimodè. Omnem, quà Divinam, ad ædificationem, & non ad destructionem esse: omnem, quà Humanam, ad conservationem & defensionem. Principes posse obligare Conscientias, etiam solere. Tributa eisdem deberi ab omnib. qui propugnantur: ab eisdem tributis ex rei naturâ nullum, aliquos privilegio eximi. Penes eosdem esse ferendi leges authoritatem; non dissolutam, sed absolutam. An in pronuntiando à Republicâ, an in obligando à Populi acceptatione pendeant? An Reipublicæ subsint, an contrà illis Respublicæ? Demonstro multas Leges, aliàs injustas, merâ acceptatione justas reddi; cedunt enim suo iure, qui ultrò acceptant. His tandem notitiis instructũ Lectorem ad Jus Cæsareum confero, ejusdem vires examino; quo Hispanos, Gallos, & alias Gentes modo obliget: & unde hæc obligatio suboriatur, edissero. Demùmque totum illud, quantum est, ut præ oculis haberi queat, ad breve compendium reduco.

THEOLOGIA MILITARIS, quę Civilis est pars, & in ipsa de Bello, & Pace; de concordiæ articulis onerosis; de favorabilibus, & à quibus & quando possint iniri aut non iniri. [Huc pertinent omnes Libri, quos pro Regibus Philippo II. III. & IV. omnes, quos pro Cæsaribus Ferdinando I. II. & III. huc etiam, quos scripsi pro aliis.] Et hi sunt Libri, quos Tomus iste Militaris complectitur.

BELLUM PUBLICUM. A quib. quando & qualiter geri possit, examinat.

PHILIPPUS PRUDENS, CAROLI V. IMP. FILIUS, LUSITANIÆ, ALGARBIÆ INDIÆ ET BRASILIÆ LEGITIMUS REX, DEMONSTRATUS. Agit de jure adquirendi, possidendi & recuperandi

Coronas,& ut doctrinam hanc clariùs dilucidet, Philippum II. Hispaniæ Regem Lusitaniam mortuo Henrico occupantem proponit, & quanto illam jure occuparit, & possideant successores ostendit.

JOANNES BARGANTINUS, LUSITANIÆ, ALGARBIÆ, INDIÆ ET BRASILIÆ ILLEGITIMUS REX DEMONSTRATUS. Agit de defectione Portugalliæ, quæ accidit anno 1640. Coronamq; à Duce Bargantino illegitimè invasam, ostendit.

CAPTIVUS. Qui bello justo capitur *Mancipium* dicitur; si servetur, vocatur *Servus*; & quia sunt multæ difficultates, quæ hos miseros Homines concernunt, debui specialiter scribere de bello-captis.

DUELLUM, sive BELLUM PRIVATUM. Disserit de Monomachia; & examinat An detur casus, in quo licita sit? An provocare interdum liceat? an saltem egredi? Et multas alias Controversias inc dentes examinat.

PAX PUBLICA. Quæ quanta & qualis cum Catholicis, cum Hæreticis, & cum Mahometan. iniri possit, soleatq;.

S. ROM. IMP. PAX. Variis fuit consiliis agitata; & demùm à Nobis medullitùs discussa & ad duas Hypotheses reducta. Sub primam condemnata & dissuasa; sub secundam pia licita & valida demonstrata, commendata, approbata, persuasa.

Est Opus Theologico-Politicum omnibus necessarium; prodiit iterùm iterumq; Francof. apud Schönvvetter anno 1647. & 1648. & Viennæ iterùm apud Matthæum Cosmerov. an. 1649.

Hæc omnia indictionem & suspensionem Belli, & Principes supremos concernunt: at quia sæpè in ipso Bello justo peccatur, à Generalibus, à Legionariis, à Ducibus, à Gregarijs militibus, cogitatione, verbo, opere, & contra singula præcepta Dei, Ecclesiæque, debui per singulas personas & Officia discurrere, & ubique plurimos casus proponere, & singulos ad veræ Theolog. fundamenta reducere. Et hanc ob rem alium Librum adjunximus, qui

SACERDOS MILITARIS inscribitur, in quo de Militum Parochis & eorumdem officio: item de Decalogo & Ecclesiæ Præceptis, & quo ista modo & quando à Militib. violari soleant, possintq;. In ipso etiam de Sacramentorum apud Milites usu & abusu: de capacitate etiam activâ & passivâ, &c. Ubique multa, quæ valde necessaria Presbyteris, qui Castris & Militum Animabus inserviunt.

PATRES.

N*On multum Ego temporis impendo aut perdo in Veterum Libris legendis; non quòd contemnam illos, sed quòd omnia quæ pulchrè cogitarunt, jam sint à Iunioribus summo studio & industria elimata. Interim sunt aliqui Scriptores Antiqui, qui à nostris hominibus non satis intellecti videntur, qui debuerunt omninò recognosci, & Commētariis illustrari.* Examinati sunt à Nobis præcipuè Dionysius, Augustinus, Benedictus, Bernardus. Quid in singulis factum, expono.

DIONYSIUS. Correctissimum habemus à Corderio, qui illum curavit imprimi in Officina Plantinian. apud Balthasarem Moretum. Illum bini comitantur Interpretes, Pachymiras & Maximus. An Dionysium intellexerint ipsi? an ipsos nos? Græci sunt, & interdum obscuriores Dionysio.

AUGUSTINUS. Opus est Theologicum, & Quæstiones plurimas de Gratiâ & Libero Arbitrio ad mentem Divini

vini Doctoris examinans. Illud priùs composuit Cornel. Jansen. non tam Pelagianor. quàm Jesuitarū adversarius: & quia ubique verba Augustini in oppositos sensus obtorsit, debuit necessariò rescribi. Absolvissem hoc Opus, si mansissem Lovanij: ibi enim inter Veteris & novæ doctrinæ Asseclas perpetuæ disputationes erant: at in Germaniam missus alijs debui negotijs insudare. Ultimam nihilominus manum Operi imponam, in quo probabo *primò* vix ullum in toto Jansenio Syllogismum, qui reprehensione careat; inferamque authorem Rhetorem quidem fuisse, non Dialecticum. *Secundò*, textus ipsos contra mentem Augustini allegari. *Tertiò*, hodie Lutheranos & Calvinistas in Liberi Arbitrij materia propiùs ad nos accedere, quàm Jansenianos. *Quartò*, meritò istam doctrinam, quâ necessitatem sub Libertatis specioso vocabulo protrudit, (cætera enim quæ cum necessitate voluntatis connexionem non habent; & quæ *Necessitatis* nomen in nomē *Infallibilitatis* convertunt, tolerabilia fortassis sunt) esse in Luth. & Calvino à Tridentinâ Synodo, in Bayo à duobus Pontificibus, & ab alijs duobus in Jansenio damnatam. In hoc Opere continentur hi Libri.

PHILOSOPHIA. Tota traditur ad mentem Divini Doctoris.

THEOLOGIA SCHOLASTICA. Tota testimonijs ejusdem illustratur.

THEOLOGIA MORALIS. Et in ista erunt Quæstiones præcipuæ, quæ inter Catholicos & Heterodoxos agitantur.

HÆRESIS PELAGIANA. Varios ipsam diversis temporibus habuisse errores assero; multa etiam aut vera aut tolerabilia intermiscuisse: à Massiliensibus & aliis plurimis remissiùs traditam. [Puto hæresin olim Pelagianam, sicut hodie Lutheranam & Calvinianam à tribus aboriri Parentibus: videlicet, Ignorantiâ, Æquivocatione, Irritatione. Nam si cessaret odium, & aliquæ hallucinationes & æquivocationes tollerentur, instrui possent hæretici, & faciliùs ad veram Religionem reduci.]

PURA NATURA. Eam esse impossibilem docet Jansenius: at testimonia Hipponensis Episcopi videntur potius probare eam fuisse productā de facto: & tamen neutrum est asserendum.

NATURA INTEGRA. Ignota est, & à singulis diverso modo exposita. Jansenius, cùm agit de Natura Lapsa, voluntatem necessitat; cùm de Integra, Molinæ & Patribus Jesuitis subscribit, sed ausu irrito, quia multa negat, sine quibus suam sententiam propugnare non potest.

NATURA LAPSA. Arbitrij indifferentiam retinet, quidquid clamitent Heterodoxi. Qui Libertatem cum spontaneitate confundunt, audire deberent Calvinum à Synodo Tridentinâ condemnatum, qui ait, *si libertatis vocabulo libertas à coactione sit intelligenda, esse in Homine liberum arbitrium, & arguendum hæreseos qui contrarium asseveret.* Ergo totus hic Liber erit pro Arbitrii indifferētia in Natura lapsa propugnāda.

PECCATUM ORIGINALE. Mira de illo delirant Lutherani, mira Calvinistæ, mira & alij: & omnia ex Augustino, ut existimant. Et hanc ob rem, ut Sanctissimum hunc Doctorem vindicaremus, debuim' hunc Librū subscribere.

GRATIA OMNIPOTENS. At ita omnipotens, ut humanæ voluntatis libertatem non lædat. Et de hoc debuimus specialem Tractatum.

NOTA. Jansenium amavi, dum viveret; virum (sincerè loquor) modestissimum

simum, urbanissimum, moderatissimũ; virum vitę inculpabilis, & si ab opinionibus posthumis præscindamus, omni laude dignissimum. Amavi ejus primarium Discipulum Libertum Fromondum, ingenio floridissimo & fortissimo præditum; pium & doctum: & utrumque etiam num veneror, nam potuerunt nimio erga Augustinum amore, nimio erga Jesuitas tædio seduci, & in re nobis clara invincibiliter cœcutire & errare. Et in eorumdem gratiam alicui docto Janseniano suaderem, ut librum totum illum ad mentem D. Thomæ corrigeret, & omnia quæ de necessitate absolutâ Jansenius, aut ad infallibilitatẽ (& hoc meliùs) aut ad necessitatem sensûs cõpositi (& hoc severiùs) revocaret. Hinc gratiæ efficaciam deduceret. Hinc cognosceret Pelagianorum & Semipelagianorum veterum exorbitantias, Ut in eorumdem placitis (non enim omnia sunt hæretica) vera separaret à falsis; & in Parallelis laudaret Juniorum doctrinam consentientem Pelagio, in articulis, in quibus iste consonuit veritati. Sanè in Jansenij Augustino materia multa est, quę formam Thomisticam non recusaret, si daretur agens extrinsecum, quod eam induceret. Ego enim, si per occupationes liceret, possem, ut puto, illam rudem indigeliam, aut monstrosè conformatam materiã exuere Jansenianâ formâ, quæ quatuor Pontificibus displicet, & Catholicis sinceris non placet, & vestire Thomisticâ, unius aut alterius anni spacio. Si hoc semel fieret, cessarent controversiæ, & novus ille liber, Angelici Doctoris doctrinam magno suffragio confirmaret. Sed hoc ipsum admonuisse sufficiat; & utinam à Thomistâ aliquo perficeretur.

BENEDICTUS. Et in hoc Libro ex Sanctissimi Patriarchæ dictis scriptis, factisque Philosophicas & Theologicas Theses diduco. Est hic liber curiosus, & quidam Scholasticus (hoc est, Logicus, Physicus, Metaphysicus, & Theologicus) Regulæ Benedictinæ Commentarius.

Curo etiamnum in ære sculpi vitam Christi & Div. Benedicti, ut Claustra Cœnobiorum ornentur. Liber ipse BENEDICTUS CHRISTIFORMIS inscribetur, & reliquos picturis optimis condecorabit.

BERNARDUS. Multum olim in Bernardi castigatione & illustratione elaboravi; multa etiamnùm habeo parata, multa diebus singulis occurrunt, quæ poterunt intento prodesse. Sed quia dare jam non potero Bernardum, qualem volui, dabo qualem per tempus licuit, & qualem volebam explicabo, si fortè alius, aut Ego aliàs, possim hunc laborem subire.

Distinxi Opera D. Bernardi in Paragraphos & singulis subscripsi Authores Catholicos & Acatholicos, qui illos citarunt, & eorumdem Expositiones recognovi, & ad limam reduxi laudando aut vituperando, quæ digna videbãtur censurâ. Addidi Indices, Grammaticum, Logicum, Physicum, Metaphysicum, Theologicum, Canonicum, Medicum & Scripturarium. Apparavi quàm multa, & si tempus & quies faveant, resumam iterùm, cum tædio tamen, mihi enim molestissimum est, quæ scripsi & perierunt, rescribere, & ex tanto apparatu perditi sunt Codices multi, Musæo hinc illuc, prout Bella coëgerunt, translato.

CVR-

CURSUS
BIBLICUS.

Multa scripsi in revelatos S. Scripturæ Libros; multa dixi viginti quinque annis (tot enim aut etiam pluribus, Concionatorem ago) multa sum contemplatus; sed quia Hebræo Textu delector, hos Libros præcipuè in hac materia elaboravi.

INSTITUTIONES LINGUÆ HEBRÆÆ. Conservo communem vocum pronuntiationem: & puncta, quia puto à Junioribus ficta, & summâ irregularitate laborare, in alia facillima commuto: atque vocalem Artem ad prima rationis fundamenta reduco. [Est quidem pulcher ausus, cui ad votum omnia. An-ne idem etiam succederet in alijs linguis? Minimè: Hebræa enim magno consilio est composita, & cæteræ casu sunt exserunt.]

FAVISSÆ HEBRAICÆ. Differt à Thesauro Favissa, (sic profert Gellius lib. 2. c. 10. at Varro in Epistola ad Ser. Sulpitium Flavissas nominat) ut à Lauro Lauretum. Est igitur Lauretum locus, cui implantatæ sunt multæ lauri: & Favissæ sunt locus in quo repositi sunt multi Thesauri. Quatuor reconduntur in nostris.

Primus est, THESAURUS RATIONALIS. Duas complectitur partes; Theoricam, Practicam: illa docet, hæc utitur, illa est brevissima, & singulas litteras habere partialem significationem ostendit; hæc est uberior, & doctrinâ illâ utitur, & ex partialibus significationibus eruit datæ Radicis aut Dictionis compositam significationem. Ergo stando huic doctrinæ, omnium scit vocum significationes, qui Characterum potestatem.

Sed quia amat brevitatem memoria, triplici viâ hunc eumdem thesaurum ad quintam essentiam reduximus, & è secundis meditationibus prodierunt, Literarius, Dictionarius, Absconditus. Igitur

Secundus est, THESAURUS LITERARIUS. In quo carmen Hexametrum nominibus literarum ludit.

Tertius est, THESAURUS DICTIONARIUS. In quo è Radicibus & earumdem significationib. carmina teximus.

Quartus est, THESAURUS ABSCONDITUS. Et quidem non solùm condit divitias, sed sub pacto. Est Poëma Heroicum purè Latinū, in quo (quis crederet?) nulla dictio, nulla litera Hebræa scribitur, sed solummodo quidam Hortus describitur quasi mille carminibus; quæ si memoriâ teneas, te dirigant, ut nullius vocis Hebraicæ significationem ignores.

CABALLA. Liber est de arcano Scripturæ intellectu. Specimen inter Artes Humaniores posuimus, quoniam illo Labyrinthi Poëtici succollabantur: hîc uberiùs singula retractamus.

HEBRÆO CRENE. Probat Linguam Hebræam omnium primam & Principem, cæteras ab illa emanare, paucisque juxta Artem & Regulas mutatis in eam redire. Et in aliquos dividitur Libros.

Primus est, HEBRÆO-ELAMITA. Dat Institutiones Elamiticæ Linguæ, & illas ipsas miro artificio ab Hebraicis diducit.

Secūdus, HEBRÆO-SYRUS. Præmittit Syr. Linguæ Grammaticam, & eam ab Hebr. probat ingeniosè procedere.

Tertius, HEBRÆO-ARABS. Agit de Lingua Arabum, & ejusdem Origine, & cum Hebræa cognatione.

His accedere debuit HISPANO-ARABS, ubi de Lingua Maurorum Hispaniam occupantium tractatur. Erat inter

ter Hispanicam & Arabicam media, quæ Mauriscis ann. 1609. à tota Hispania relegatis desiit, & debuit describi saltem, ne periret omninò.

Quartus, HEBRÆO-ROMANUS. Et hic præcipuè Liber fortè dicendus Paradoxus; esto: interim ingenio & fœlicitate non caret. Probat Linguas Latinam Hebræamque merâ dispunctione differre: adeoque (NB.) quæ in textu Hebraico reperiuntur, si juxta meas Hebræo-Romanas Institutiones repungantur, esse purè Latina.

Quintus, HEBRÆO-GRÆCUS. Est Liber similis præcedenti; & quidquid Romanè alter, is Græcè audet, probatque Linguas Hebræam & Græcam coincidere, & solâ dispunctione differre.

An-ne in his duobus Paradoxis Operibus Goropium Becanum, Schriscium, & alios Belgas imitamur, qui voluerunt vernaculam suam Linguam non differre ab Hebraica? Minimè. Illi enim sine arte aliquas voces exponere conati fuerunt: at nos Grammaticas Institutiones, & etiam Dictionaria damus. Sed quo fructu? Ut ostendamus has duas Linguas, (Græcam Latinamquè) nō esse primitivas, sed ab Hebræa non sine regulis & arte natas.

Ista visa sunt sensum literarum concernere, & posse conducere, ut radicitùs intelligatur. At quia in S. Scriptura non solùm voces, sed etiam res ipsæ significant, addere debuimus

HIEROGLYPHICA. Liber est de Rerum & Actionum significatione. Multa de hac materia Judæi in Veterum Rabbinor. Bibliotheca, quam THALMUD nominant; sed quia superstitionibus & fabulis plena, debent non perlegi, sed interlegi, Christianè, & cautè. Eadem videtur Arias Montanus expurgasse & reduxisse ad pulchros Libros, qui REGIORUM BIBLIOR. APPARATUM componunt.

Quæ hucusq; data ad Bibliorum ornatum & intelligentiam spectant: subveniamus ad praxin. Sanè ego his instructus notitiis, prout tempora tulerunt, varios S. Scripturæ Libros dilucidavi. Multa habeo adhuc rudia & informia, quæ manum secundam exspectāt; at hæc poterunt statim evulgari.

HEXAMERON. Primum Caput Geneseos, & opera sex dierū explanat.

PARADISUS. Illum describit; ejus aut rudera aut vestigia quærit, & ubinam fuerit, investigat.

BENEDICTIONES PATRIARCHARUM. Habui Antuerpiæ Quadragesimales Conciones de hac materia, & in illis præcipuè posteriora Geneseos Capita dilucidavi.

PSALTERIUM. Psalmos singulos conceptibus variis exornat.

MEDITATIONES EVANGELICÆ. Sunt Politicæ; & ex Divina Christi Historia Dogmata & Consilia ad Remp. benè gubernandam diducūt.

PAULUS. Omnes ejus Epistolas complectitur, & scholasticis radijs illustrat. Est opus contra Lutheranos & Calvinianos scriptum; hoc ævo valdè necessarium.

ORATIONES EVANGELICÆ. Multæ sunt & variæ, quas edidi; multæ quas habeo; debebunt in Libros & tomos distingui; at inter alios, qui ultimā manum desiderant, sunt isti jam parati.

ADVENTUS. Conciones Dominicales à prima Adventus die ad Caput Jejunii complectitur.

QUADRAGESIMALE. Et Conciones pro tota Quadragesima continet.

DOMINICALE. Conciones à Paschate ad Adventum exhibet.

MARIALE. Serviet in omnibus Deiparæ solennitatibus.

SAN-

SANCTORALE. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginumque communes & speciales Fastos celebrat.

FUNERALE. Lachrymas ad Evangelicum textum elimat, & ita eas in funeribus fundit, ut Auditoribus prodesse possint.

ENCYCLOPÆDIA. Omnes Scientias, videlicet Orthographiam, Grammaticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, Logarithmicam, Artem Militarem, & Musicam; nec non Logicam, Physicam, Metaphysicam, Libros de Generatione & Corruptione; de Cœlo & Mundo; de Animâ Vegetativâ, Sensitiva & Rationali; & tandem Medicinam etiam Politicam & Jurisprudentiam, demumque Theologiam conceptibus variis dilucidat, & Ecclesiasticis Fastis appropriat. Dedimus anno 1649 priorem partem: nunc & posteriorem adjungimus, prioremque novis conceptibus nobilitamus.

HISPANUM-STEMMA. Austriacorum Stemmata Heroicis conceptibus dilucidat, & Monitis Politicis exornat.

EPISTOLÆ.

PLurimas habeo doctrinales (Historicas, Mathematicas, Philosophicas, Theologicas, Ethicas) & plurimas eruditionis aut urbanitatis gratiâ scriptas. Quæ non sunt Scholasticæ, latere jubentur sub modio; nescio enim quo fructu audent sæpè in lucem prodire, quæ præter verba nihil habent. Volui aliquando omnes Doctrinales ad Volumen speciale reducere; at meliore consilio multas suis locis adscribo, & proprijs Resolutionibus intersero. Cæterùm, quia adhuc manserunt plurimæ, quæ commodè non potuerunt interseri, illas omnes ad unum librum miscellaneum reduximus, quem loco penultimo dabimus.

PALYMPSESTI.

ETiam ipsi pertinent ad Theologiam, tametsi Politica edisserant. Sic eos inscripsi, quod in ipsis delicato Lectori obliterare liceat, quod habere non placeat. Huc confluxerunt multa & varia; visa, audita; cogitata, suspicata, somniata. Huc ignorata etiam, multum enim scit, qui scit quæ ignoret: multum dicit & docet, qui se fatetur ignorare, quæ nemo imperitus ignorat. Fortè ad doctè ignorandum plus scientiæ & experientiæ requiritur, quàm ad indoctè sciendum. Fortè nihil omninò sciunt, qui nihil nesciunt: hoc alij viderint: ignoro enim hoc ipsum, qui me existimo suprà vulgus eruditorum sapere, cùm ea ipsa, quæ illi non examinarunt, & sciunt, me examinasse & nescire demonstro.

Opus hoc tardiùs lucem videbit, nam complectitur nudas veritates, quas nostri homines, nec transglutire crudas volunt, nec cõcoquere possunt. Interim promovebitur, ut fortè olim, quando saltem somniare vera liceat, imprimatur.

Ex his multi jam sunt tertiò aut quartò recusi, sed modo omnes simul ad paucos Tomos reducentur, & simul in lucem prodibunt.



FINIS.